[illegible] – p.27

QUAESTIONES LUCRETIANAE.

Scripsit

Dr. phil. **Gulielmus Christ.**

Monachii 1855.

Inprimebat libraria regia scholastica.

Quinto abhinc anno Leonardus Spengelius, vir illustrissimus, sodalibus seminarii Monacensis Lucretii carmina illustranda et emendanda proposuit, quibus scholis quamquam summo studio interfui, minus tamen inde fructus cepi, quippe cuius vires ad difficillimi poetae placita ac sententias explicanda nondum satis confirmatae essent. Itaque cum mihi Berolino reduci benigna fortuna suavissimum praeceptoris optimi consortium reddidisset, quid mihi gratius fieri potuit, quam quod ille mihi et collegae coniunctissimo Antonio Linsmayero concessit, ut nobiscum tres posteriores Lucretii libros perlegeret? Qua in re cum et spectatus magister nobis rudioribus tironibus rectam explicandi emendandique viam monstraret, et in vicem, quid quisque sentiret, in medium proferremus, summa admiratione musae Lucretianae ita impleti sumus, ut maximum studium explicandis emendandisque carminibus impenderemus, qua in cura quae ipse mihi recte vidisse videor iam proferre conabor. Tanta enim Lucretius arte versuum pangendorum pollet, tanta suavitate utile cum dulci coniunxit, tam luculenter et lepide res, quae natura fiunt, ante oculos nobis ponit, ut, si quis alius, dignus esse videatur, qui aeterna fronde ornatus floreat. Sed quoniam ineptum illud commentandi genus, quod secuti: quam bene! quam pulchre! exclamantes interpretis officio satisfecisse sibi videbantur, saniori ac fructuosiori rationi cessit, lectores laudando Lucretii virtutes haud morabor: ipsi fontem accedant et incorruptam inde lympham hauriant; egomet, si quid afferre possim, quo fontes textus Lucretii aperiam, sententias illustrem, menda denique expellam veraque restituam, hac commentatione periclitabor. Quamquam omnino hoc dicere supersedissem, nisi viderem esse, qui tam perverso iudicio abripiantur, ut philologos litterularum apicumque causa auctores Latinos Graecosque perlegere et sibi fingant et aliis persuadeant. Sed ipse sapientissimi cuiusque sententiam secutus de vulgi clamoribus securus viam meam persequar.

Cum Lucretii carmina tam diu a philologis neglecta iacuissent, recentissimis temporibus inventus est qui tam egregiam operam in emendandis atque explicandis difficillimis huius poetae locis navaret, ut unus omnes, qui ante eum eidem scriptori operam impenderunt, longe superarit. Atque primum hoc nomine Lachmannus de Lucretio optime meritus est, quod abiecto molesto codicum correctorum manibus corruptorum onere verba poetae ad certam normam reduxit, atque viam, unde Lucretii carmina ad nostram memoriam pervenissent, plane aperuit. Quamquam enim iam antea viri clarissimi Madvigius in commentatione „De aliquot lacunis codicum Lucretii“ in Opusc. acad. tomi I, p. 305 sqq. repetita, et Bernaysius in dissertatione novo

Museo Rhenano V, p. 533 sqq. inserta eandem viam ingressi erant, Lachmannus tamen mirum quantum rem et rectius et accuratius perquirendo illos viros anteiit. Eo aegrius fero mihi in ipso operis vestibulo eius sententiae occurrendum esse.

Nam cum Lachmannus omnes libros manu scriptos ex uno codice archetypo emanasse atque ex illo praeter duos codd. Leidenses sive Vossianos tertium insuper apographum factum a Poggio vel alio quodam docto Italo in Italiam perlatum esse recte statuisset, illius tertii tamen fontis rationem habuit fere nullam. Neque hoc Lachmanno quidem gravi crimini vertere licet. Is enim cum eos codd. Italicos, unde excerpta editores dederunt, etiam magis quam illos, e quibus primi libri impressi excusi sunt, coniecturis doctorum Italorum contaminatos esse intellexisset, tertium fontem in illis integrum non iam exstare suo iure statuit. Eo maior, opinor, ei gratia habenda est, qui codice Italico ab illis emendationibus libero et integro, tertii illius fontis auctore, in lucem prolato illam lacunam explevit. Haec autem laus debetur v. cl. Leonardo Spengelio, qui primus in censura, quam de Lachmanni editione scripsit (Gelehrte Anzeigen der k. b. Akad. a. 1851 Nro. 96), non modo codicis Victorii, de quo dicturus sum, mentionem fecit, sed etiam naturam eius paucis verbis apertissime declaravit. Ipse igitur, quae ille significaverat, accuratius et plenius persequi decrevi.

Inest enim in bibliotheca regia Monacensi liber manu scriptus Lucretii, codd. Latinorum octingentesimus septimus decimus inter libros Petri Victorii ex Italia Monachium translatus. Is codex membranaceus, forma oblonga, saeculo quinto decimo nitida manu exaratus, constat schedis CXXXXVI, quarum singulae paginae iis, in quibus primi cuiusque libri versus scripti sunt, exceptis vicenos senos versus continent. Extrema scheda vacua relicta est, paginae 285 et 286 interciderunt, quamquam numerus schedarum non interrupta serie continuatus est. Literae initiales coloribus sunt ornatae, capitulorum indices non capitibus singulorum librorum praefixi sunt, sed inde a secundo libro singulis particulis tituli rubris literis sunt praemissi*). Textus ipse, qui quidem prima manu exaratus est, innumeris mendis scatet, atque magno numero eorum, quae ei cum duobus Leidd. communia sunt, accedunt nova ex incuria librarii orta; singula verba cum in reliquis pedibus, tum in clausulis versuum desunt permulta, nec raro verba in fine praecedentis versus collocata in proximum ea ratione migraverunt, quam Bernaysius in praefatione editionis Teubnerianae p. III sqq. explicuit. Verba partim incuria librarii, partim ob corrosam ac squalidam quorundam codicis Poggiani, unde ipse descendit, locorum naturam praetermissa esse inde apparet, quod aliquot locis verba in cod. V omissa, in editionibus Brixiensi et Veneta foede corrupta ac deformata exhibentur. Permulti denique versus alii ob similem exitum, alii ob obscuram quandam causam praetermissi sunt. Libri IV, vv. 299 — 347 aeque atque in codd. Leidd. inverso ordine leguntur, suo autem loco collocati

*) Nec tamen ubique tituli cod. Victorii cum codd. Leidensium conspirant, cum complures cod. V. omittat, alium addat ante II, 502 „De pavone", qui quidem, cum illo altero l. II, v. 806 proposito „De cauda pavonis" comparatus, Bernaysii ingeniosam coniecturam valde infringit.

sunt I, 734 — 85; II, 253 — 304, 757 — 806; V, 928 — 79; nec tamen in reliquis rebus codicem V. ita cum cod. oblongo conspirare, ut codex Poggii oblongi exemplo scriptus esse existimandus sit, ex iis apparebit, quae inferius dicturus sum.

Altera autem manus versus non solum illos, qui incuria exciderunt, sed etiam eos, qui e Marulli fabrica profecti sunt, in marginibus aut in calcibus paginarum addidit, lacunosos ac truncatos locos explevit, leves errores radendo emendavit, omnem denique textum ex coniecturis cum doctorum Italorum, tum Marulli ita correxit, ut etiam sincera atque integra contaminaret. Jam apographum illud, quod a Poggio in Italiam adportatum esse supra diximus, literis minusculis ac pervulgatis quibusdam compendiis scriptum fuisse inde apparet, quod praeter illos locos, qui ex literis capitalibus archetypi labem traxerunt, non pauca menda exstant, quae minusculis compendiisve codicis Poggiani male intellectis ex illo in hunc codicem illata sunt. In eodem Poggii codice multa emendatius scripta, multa simili ratione atque in cod. oblongo a Saxone, ex archetypo correcta erant, unde factum est, ut pleraeque, nec tamen omnes correctiones oblongi, paucae quadrati in cod. Victoriano inveniantur; insigne huius rei exemplum exstat IV, 1083, ubi correctorem Saxonem *illa haec germina* fecisse Lachmannus refert, quod idem pronomen *haec* in cod. Poggii adscriptum fuisse eo intelligitur, quod cod. V. mendose exhibet *haec illa germina*. Nec tamen dubitare licet, quin ipsum illud *haec* et alia id genus iam in archetypo aut superscripta aut in margine adiecta fuerint, qua una ratione explicatur, cur tam saepe verbum *est* aliave aut in omnibus tribus codicibus aut in uno alterove falso loco collocata sint. Praeter ea librarium, qui codicem Victorianum exaravit, nec ipsum quidquam correxisse, nec ullas Italorum emendationes intulisse certissimum est: adeo quae vel facillime corrigi poterant foedo squalore sordent, adeo vestigia corruptarum lectionum intacta exstant; quod ut demonstrem, pauca ex innumerabili segete hic afferam, quae Lachmannus ab Italis correcta refert, in cod. V. a prima manu integra, a secunda pleraque emendata leguntur. In cod. V. igitur manu prima leguntur: I, 852 *efficiat*, 884 *terimus* m. 2. in spatio vacuo, 1009 *qua corpus inane;* II, 39 *superes*, 105 *paucuia*, 164 *quoque illud*, 251 *motu*, 264 *quorum*, 281 *acona materiai*, 320 *satiant*, 520 *ancipi*, 628 *caterva*, 854 *propterea eundem*, 1080 *invenisse;* III, 47 *causa*, 60 *manare*, 78 *statim*, 108 *ubi*, 289 *fervescet*. 403 *cretum cesis*, 450 *auctor*, 564 *oculus ipse*, 583 *anima eius*, 723 *priva si corpore*, 873 *nos incerum*, 880 *iacerent*, 964 *cedi*, 1050 *potes ibi quod;* IV, 81 *inclaustra* literis *tr.* m. 2. subductis, 317 *ullius*, 437 *obnities undas*, 1061 *Namst*, sed superiore parte literae *t* erasa; V, 45 *cupidines*, 182 *divisum deest*, 247 *Memini*, 518 *lucia*, 553 *aevi*, 648 *ille*, 657 *differre lumina*, 977 *Aspervis*, 1129 *side*, 1184 *varias*, 1280 *claudibus*, 1294 *athenae*, 1429 *plebe lata mens idq.;* VI, 17 *fas*, 68 *remitti*, 103 *iigna*, 210 *iubeant*, 298 *spatio*, 359 *seris*, 541 *submersos caputandumst*, 716 *quietes inesse*, 767 *procul vere*, 854 *mundum*, 937 *clare*, 1196 *prostratus;* versus vero dimidiatos l. I, 1068 — 73 manus altera commenticiis verbis Marulli supplevit erasis Antonii Marii, ut videtur, supplementis, quae tamen et ipsa non ea manu, quae codicem exaravit, scripta fuisse contenta oculorum acie clarissime perspici potest; gravius denique glossema, cuius tamen similia etiam in codd. Leidd. exstant, in codicem V. irrepsit, qui in fine l. III,

v. 823 *queram*, in proximo autem versu exhibet: *quid morbist cum corpor egrotant*. Has igitur lectiones ex cod. V. excerpsi, primum ut cum ex aliis rebus tum ex verbis male divisis intelligeretur codicem Poggii non ex oblongo sed ex ipso archetypo, in quo verba nondum distincta erant, descriptum esse, eundemque pari fide ac duos codd. Leidenses, ab eadem stirpe ortos, menda archetypi servasse; deinde ut nonnulla in ipso archetypo obscure scripta aut detrita fuisse atque inde in tribus illis apographis diversa illa quidem, sed aeque mendosa ratione exhibita esse docerem, denique ut editiones Brixiensem, Veronensem, Venetam ex exemplari codicis V. simillimo, sed passim a correctoribus vel ab editoribus ipsis emendato excusas esse confirmarem. Quodsi cod. V. integrum nec interpolatum esse docui, ne iis quidem locis, quibus aut cum alterutro codicum Leidensium aut solus verum exhibet, integritas eius in dubium vocanda, nec minor fides ei quam oblongo aut quadrato seorsum a reliquis vera praebentibus habenda est.

His expositis iam paucis significabo quid cognito codice Victoriano lucrati simus. Ac primum quidem fons, unde editiones principes manaverunt, iam apertus patet, quod quantum valeat, is intelliget, qui illas editiones aut ipse inspexerit aut ea, quae editores ex iis parum religiose rettulerunt, perlegerit. Lachmanni enim iniustum atque incautum iudicium secutus multis in locis illos Italos homines temerarios ac nebulones fuisse putabit, qui vel integerrima ineptis commentis foedaverint, vel emendandi salebrosam quam apertam viam sequi maluerint. At qui lectiones codicis V. cognoverit, causam errorum inveniet, atque Italos ut vera non indagasse, sic magno saepe acumine vitia suorum codicum removere tentasse iudicabit. Etenim quis, quaeso, intelliget, qui factum sit ut editores veteres, de legibus metricae artis aeque ac librarii codicum illorum securi, II, 85, scriberent *cita superne* eius loco quod est *cita saepe*, nisi acceperit hoc ipsum *cita superne*, ex clausula illud proximi versus *repente* ortum, in cod. V. scriptum exstare? Quis porro lectione cod. V. IV, 152 *neque ante* (pro *neque autem*) cognita tam iniustus ac litigiosus exsistet, qui cum Lachmanno optimis viris, qui saeculo quinto exeunte et sexto ineunte Lucretii carmina divulgarunt, tantum stuporem imputet, ut eos, quod *quam* illo loco pronominis vice fungi non intellexissent, in clausula versus *neque ante* perperam correxisse dicat? Sed haec longius persequi a consilio huius commentationis alienum est.

Hoc autem alterum codice Victoriano docemur, non exiguam partem coniecturarum, quae Marulli vel alius cuiusdam Itali feruntur, ex cod. Poggii aut ex eius apographis fluxisse. Atque Marullum non omnia ex ingenio, sed nonnulla ex vetustis codicibus deprompsisse Lachmannus interdum divinavit, nec tamen perspexit. Sic ille Marullum, qui tam subtiliter iudicare non soleat, III, 94 pro *quem* cum Charisio illo tempore nondum in lucem prolato *quam* dedisse miratur; sed hoc ipsum in cod. V. exstat. Neque Marullum V, 349, cum verba vulgo falso distingui intellexisset, tamen non minus absurde *videmus* scripsisse Lachmannus dicturus fuit, si codicem V. *videmus* habere cognovisset; nec denique idem inutili coniecturae *rigidi* VI, 1196 praesidium a Marullo *prostrati* et Lambino *post strati* scribentibus petiisset, si illos viros non ratione quadam ductos, sed codd. prava lectione — *prostratus* enim habet cod. V. — deceptos esse ex ipsius Lambini commentario colligere maluisset. Quamquam omnino in his rebus Lachmannus non ea diligentia versatus est, quam in tam severo alienorum errorum

castigatore iure exspectes. Sic ille ad V, 25 adnotavit: *sonana* Marullus; at eadem lectio non solum in cod. V. est, sed etiam in ed. Veneta, cuius exemplar se in manibus habuisse Lachmannus ipse fatetur. Tam saepe autem a Marullo emendata codice V. illustrari cognoveram, et tam accurate quae altera manu in eo correcta sunt paucis exceptis cum iis, quae Marulli esse feruntur, conspirant, ut iam diu mihi suspicio suborta sit, essetne codex V. ipsius Marulli manu correctus. Sed cum satis certa indicia deessent, tum hoc potissimum me ab hac sententia revocavit, quod nonnulla in cod. V. exstant, quae si Marullus cognovisset, integra reliquisset, ut illa: III, 887 *dolere* m. pr. *dolore* m. sec., VI, 878 *nodosque* m. pr. *venas* m. 2. superscriptum, VI, 1217 *ut acrem exiret* (non *exciret*, ut duo Leidd.) corr. m. sec. in: *ne acrem exciret*.

Quod autem novae lectiones in codice V. paucae comparent, non est quod mirere, quoniam Itali et primi editores ex codice Poggiano aut ex eius apographis tam mendosa quam vera iam dudum in lucem protulerunt. Quae digna relatu videntur, haec fere supersunt: II, 296 *ferantur*, IV, 782 *accurrit*, IV, 1113 *cupide Veneris compagibus*, cf. IV, 1204 et VI, 1016; alterum *cupide in Veneris compagibus* non intelligo et etiam minus Wakefieldum. Deinde multas Marulli aliorumque Italorum coniecturas nostro codice confirmari vel potius ex eodem fonte manasse supra ostendimus. Sed cum pleraeque earum ita et rebus et literarum ductibus conveniant, ut ipsae per se sine ullius codicis auctoritate satis certae videantur, pauca tantum eaque insigniora aut controversa hic rettulisse satis habebimus. Atque Marulli quidem lectiones codice V. in his locis confirmantur: I, 240 *nexu*, 271 *ponti*; *pontum* coniecit Marullus, 789 *pacto*, 1114 *si*, sed in versu proximo: *non tibi*, II, 512 *in rebus*, 919 *ab cetu*, 1061 *coluerunt*, 1122 *hilari grandescere ad auctum*, III, 1 *E tenebris*, 236 *inter eum — moveri*, V, 34 *stirpem*, 738 *zephyrus*, 885 *lactantia quaerit*, VI, 842 *propere*. Cum Antonio Marii filio consentit codex: I, 825 *Ossibus sic et de*, VI, 878 *nodosque*; cum Naugerio: I, 528 *findi*, 890 *ac in terram*. Praeterea habet lectionem Lambinianam III, 887 *dolere*, firmare videtur coniecturam Gifanii IV, 41 *dederunt*, quae tamen haud scio an sit improbanda; habet Bentleii sagacem emendationem IV, 579 *ictu*; firmat a Lachmanno reperta I, 996 *partibus e cunctis*, IV, 648 *Proinde ex*, VI, 882 *hic*, suffragaturque eiusdem viri coniecturae VI, 361 *tuamur*, cum cod. V. versum mutilatum exhibeat: *structa tua*, adiuvat denique v. cl. Berghii emendationem ad I, 843, cum hunc versum sic dispositum habeat: *Nec tamen esse ulla parte idem in rebus inane*, sed eidem viro minus suffragatur ad IV, 968 et VI, 919, quorum in priore loco in cod. V. *bellum*, in altero *ambagibus* legitur, et haud scio an v. cl. sententia omnino reiicienda sit. Denique, ut quorundam hominum doctorum dubitationes removeam, addo in V. esse V, 412 *magnis* et I, vv. 356 sq. sic exhiberi: *Quod nisi inania sint, qua possent corpora quaeque Transire haud ulla fieri ratione videres.* Num *valerent* quod quadratus pro *fieri* habet (vel potius *valeret*) ad *videres* adscriptum fuerit, an alio casu ortum sit, non liquet; certe nemo Purmanno (in Ann. philol. Vol. 67, p. 669) assentietur, *valerent* tamquam glossema ad *possent* additum esse statuenti.

Iam ordine disputationis ad aliam et multo graviorem quaestionem deducti sumus. Cum

enim in duobus codd. Leidensibus nonnulla exciderint, quae in libris Italico calamo scriptis et in primis editionibus inveniuntur, Lachmannus, quo contemptu tertium illum fontem despexit, illa omnia Italorum commentis suppleta esse statuit, Bernaysius vero diverso literarum genere exscribenda curavit. At si vera sunt, quae supra de codicis V. integritate disputavi, Lachmanni sententia ipsa per se corruit. Ac profecto ab omni specie veritatis abhorret in codice, in quo et ipso permulta, quae in utroque cod. Leid. inveniuntur, exciderint, atque ne singula quidem verba, ut mox docebo, suppleta sint, perpauca illa manu emendatrice addita esse. Accedit, quod nonnulla in cod. quadrato omissa sunt, quae in oblongo et in Victoriano exstant — sic desunt in quadrato praeter totos versus I, 123, 890, 891, III, 805, V, 209 singula verba: I, 269 *quae*, 326 *vesco* (*vasco* cod. V.), 893 *res*, II, 277 *vis*, III, 658 *miranti*, 990 *quoque*, VI, 382 *nunc*. Alia quae desunt in oblongo et in V. in uno quadrato inveniuntur, ut IV, 77 *flutant*, V, 884 *nam* (in V. deest etiam *quaquam*), VI, 768 *de re*, sed in V. m. sec. est supra lineam, VI, 1040 *illo*. Alia denique et in cod. V. et in quadrato omissa unus oblongus explevit, ut III, 616 vv. *manibusve sed unis* plane desunt in quadrato, in V. manu 2. addita sunt; III, 1066 *atque oblivia quaerit* om. quadr. et V.; IV, 418 *ut* om. iidem. Quo igitur iure de verbis *de re* in oblongo omissis Lachmannus dixit: „sed causam video nullam, cur quadrato et schedis non sit habenda fides“, eodem nos verba ab uno V. expleta in contextum recipi iubemus. Itaque immerito fecit Bernaysius, quod literis, quas barbari cursivas vocamus, describenda curavit haec: III, 58 *et eripitur*, 135 *Quicquid id est*, 538 *diximus ante*, 566 *per venas et viscera mixtim*, V, 893 *de rebus inter se*, quae inverso ordine Lach. emendatius scripsit: *inter se de rebus*, V, 614 *simplex et recta*, unde liquet esse legendum *et certa* (iam Lambinus *nec certa*); V, 581 *quam minimum*, quod nescio an rectius, quam Bentleius fecit, in *minuunt* corrigatur. Praeterea alia expulsis Lachmanni commentis reducenda sunt, quo de genere cod. V. m. pr. habet I, 50:

Quod super, est vacuas aures mihi Memmius et te etc.

Neque equidem quidquam inconditi in hoc versu inesse video, cum Lucretius saepius ultimum pedem duobus verbis expleat, v. I, 297, 361, 410, 435, 445; nec me movet, quod Veronensis interpres Vergilii ex Lucretii carminibus hanc versus clausulam affert: *vacuas aures animumque sagacem*. Etenim cum in laudandis verbis scriptorum veterum grammatici parum accurati et religiosi esse soleant, nihil est, cur Bernaysium illa verba rectius ad hunc versum in operis exordio collocatum quam ad IV, 912 „*tu mihi da tenuis aures animumque sagacem*“ rettulisse statuas. — I, 703 *summam* ante *tamen* addit V., cui parum aptam Lachmanni coniecturam *quidvis* substituere non licet, cum inversa sententia illud *summa* hic idem significet, quod poeta v. 701 vocabulo *omnia* expresserat. Nec magis sollicitandum est, quod I, 752 cod. V. unus exhibet „*consistere rebus*“; nam Lachmanni coniectura *consistere prorsum* aliquid sententiae immiscet, quod ab argumentatione alienum esse ad I, 600 infra docebo. — II, 210 *summo*, quod unus V. habet, Lachm. integrum reliquit, Bernaysius in *caeli* correxit nescio qua novandi prurigine abreptus. — II, 249 *recta ratione* V., in qua lectione *recta* verum esse, contra Lachmanni dubitationes his locis evincitur: II, 226 *quo citius rectum*

per inane feruntur et IV, 93 *nec recta viarum Ostia sunt.* — II, 252 *semper* addit unus V., quod recte Bernaysius Lachmanni coniectura *vetere exacto* reiecta reduxit, cum nescio quid grati repetito eidem vocabulo subesse videatur. — II. 548 *non sit orbe* cod. V, *sit orbi* oblongus, *orbi* quadratus m. 1 (cf. V, 884), *nulla sit orbi* Lachm. et Bern. sine idonea causa, quod idem valet de III, 145 et III, 458, cum cod. V. illic *et sibi*, hic „*linguaque mensque*“ habeat. Quod denique libri quarti versus 166 in oblongo mutilus exstat, in quadrato addito *oris*, in cod. V. adiecto *illud* expletur, idem hoc loco evenisse censeo, quod IV, 77 factum esse vidimus, ubi oblongus et V. versum mutilum reliquerunt, quadrati librarius non recte explevit, cuius rei simile exemplum exstat IV, 361. Si enim in cod. archetypo vox aliqua sordibus obducta erat, alii vocem omittere, alii, quantum poterant, reddere maluerunt; neque de illo loco (IV, 166) litem movebo, sitne alterutra lectionum quadrati et codicis V. praeferenda, an audacius *obvertimu' rerum* scribi praestet. Accedit denique, quod clausulas versuum in cod. archetypo interdum corrosas ac minus clare exaratas fuisse etiam aliis locis probatur. Sic III, 921 V. et obl. habent *esse soporem*, quadr. *esse praemo*, quod cave probes et cum Bernaysio *per aevum* scribas; I, 759 est in quadr. *veneni*, in obl. corr. *venena*, in V. pr. m. *vene*; contra II, 553 lectio in obl. et quadr. *caverna* propius abest a vera, quam invenit Lambinus *guberna*, quam illa in V. *carinas*. Sunt tamen alia, quae in tribus codd. familiis desiderantur, quorum graviora et ipsa sub unum conspectum subiiciam: II, 427 *et quae* in solo V. m. 2. addita sunt; cave tamen ne haec verba cum Bernaysio expellas, cum eorum alterum certe in archetypo adscriptum fuisse appareat ex clausula praecedentis versus *uncaque*, in qua tres illi codd. consentiunt; iidem omnes omittunt III, 458 *ut*, 887 *se*, 853 *neque*, 1061 *revertit*, IV, 526 *vocem*, V, 142 *in*, 706 *id*, 776 *valeant*, quo structurae rationem interverti bene vidit Lachmannus, 1273 *aes*, VI, 112 *sonitus*; habet denique cod. V. in lib. V, 736: *Ordine cum tam certa tam multa*, sed priori *tam* superscriptum m. 2 est: *videas*, alterum *tam* in rasura eadem m. 2 scriptum exstat, cui, quantum perspici potest, subfuit *videa* addito alius correctoris manu litera *s*.

Iam finem huic dissertationis parti impositurus, si quis nova cura Lucretii carmina edenda sibi sumpserit, eum admonitum velim, ut plenam varietatem horum trium codicum verbis poetae subiciat, et emendationes virorum doctorum paulo plenius, quam Lachmannus fecit, referat.

Praeter hunc codicem ad augendum apparatum criticum mihi praesto fuerunt duae editiones Venetae, impressae a. MCCCCLXXXXV, quarum alteri Victorius emendationes Pontani, alteri Pontani et Marulli ex eorum codicibus depromptas adscripsit. Scripsit enim Victorius in prima pagina ed. alterius: „Emendationes ex Pontani codice testantis ipsum ingenio eas exprompsisse“, ad calcem alterius in extrema pagina: „Contuli cum duobus codicibus, altero Joviani Pontani, altero vero Marulli poetae Bizantii, impressis quidem, sed ab ipsis non incuriose, ut patet, emendatis, quos commodum accepi ab Andrea Cambano patritio Florentino MDXX Idibus Martiis.“

Inde igitur mihi copia facta est accuratius cognoscendi, quae Marullo, quae aliis Italis debeantur. Lachmannus enim ut nusquam obscura quadam brevitate, unde Marulli emendationes

cognoverit, nominatim dicit, sic iis, quae ad III, 98 disseruit, se ex ed. Florentina a. MDXII, quam Candidus curavit, eas petisse significat. At quam dubia haec auctoritas sit, inde liquet, quod Candidus in praefatione, quam ad Thomam Sotherinum scripsit, ipse se Marulli amici olim iucundissimi censuram in hoc opere **potissimum** secutum esse scripsit. Ac profecto multa, quae Lachm. Marullo tribuit, aut in codice ipsius, quo Victorium usum esse modo dixi, non notata erant, aut Victorii negligentia, quod minus crediderim, praetermissa sunt. Sed Marulli laudibus meritis nolo quidquam detrahere; immo ab iniuria Lachmanni errore ei illata defendendus est; emendavit enim ille I, 890 *Dispertita atque in terris*, *IV*, 1191 *praetermittere et humanis*, quod ceteros fugisse Lachm. iure indignatur, VI, 568 denique *venti vis*, cui emendationi, a Wakefieldo quoque propositae, favet cod. V. exhibens: *ventis vi*. Pontani autem emendationes, quae Lachmanno non innotuisse videntur, minus illae quidem ingeniosae sunt, interdum tamen a posterioribus inventa iam ab eo praecepta videmus, ut I, 666 *coetu*, 954 *Necne sit*, II, 1096 *vitamque*, III, 994 *cuppedine*, et quae primus sibi Lachmannus emendasse visus est II, 205 *quantum est in se*, III, 861 *miseri si forte*, V, 690 *mutans*. Idem Pontanus coniecit II, 941 *haec congressa*, qua de re suo loco meam sententiam proponam.

Denique quae Lachmannus in emendando Lucretio praestiterit vv. cl. Leonardus Spengelius (Gelehrte Anzeigen l. supra cit.), Theodorus Bergkius (Neue Jahrb. f. Philol. LXVII, p. 315 — 330), Hugo Purmannus (ibid. p. 644 — 679) tam egregie docuerunt, ut mihi pauca dicenda restent. Atque in orthographia constituenda, in legibus metricis atque grammaticis eruendis, in Lucretii dicendi genere explorando ut Lachmannus admirabilis cuiusdam sagacitatis et accuratissimae scientiae documentum edidit, sic praecepta eius cum summa cautione accipienda sunt. Nam non dubitavit aut suis ipsius coniecturis iisque incertissimis praecepta a se excogitata confirmare (v. p. 71 ad 1091 de elisione longae monosyllaborum vocalis in brevi syllaba, et p. 193 de quantitate nominis *conubium*), aut locos legibus ab ipso constitutis repugnantes violentis emendationibus removere. Sed de hisce rebus sententiam ferre viros linguae Latinae peritiores decet. Praeterea ille Lucretii dicendi genus arctioribus limitibus circumscripsisse, atque ita multa sine idonea causa correxisse mihi videtur. Nam scriptor, qui semel genetivis *rabies* (IV, 1083), et *aliae* (III, 918), semel accusativis *caelos* (II, 1097) et *culta* (IV, 1213), bis *itere itiner*ve (V, 653, VI, 339), semel *aevo* masculino (III, 605), semel *intellegit* perfecto (IV, 17), bis vel ter *aquae* trisyllabo (VI, 552, 859, 1072), bis *ubi* iambo (II, 474, III, 728) usus sit, reliquis autem locis usum vulgarem semper servaverit, quo, dico, iure eundem II, 291 *quasi*, ut sit iambus, II, 1116 *extremam - - finem*, III, 421 *uno* in dandi casu, IV, 284 *in eum* sc. *speculum*, denique *fulgere* ad normam secundae coniugationis compluribus locis dixisse negabimus? Praeterea illud vituperandum est, quod Lachmannus in mendis removendis, cum ipse novas coniecturas promeret, a prioribus reperta, quamquam haud raro multo verisimiliora videntur, ne verbo quidem tangere sustinuit. Vellem idem recepisset has emendationes Italorum: I, 604 *primaque et ima*, III, 274 *intra* (cf. IV, 729), IV, 615 et V, 233 *quis sentimus* et *quis sua*, quae emendationes sequente litera *s* facillimae

sunt, IV, 147 et 152 Oppenriederi *vitrum*, V, 836 Bentleii *quod tulit ut nequeat* (non *est*, sed *fuit* post *pote* supplendum erat), denique VI, 178 Marulli *liquescit*, cum gradationem esse in oratione particula *vero* indicetur.

Summam denique mentis sagacitatem in mendis detegendis atque ex ingenio tollendis Lachmannus ipse prae se fert, sed vereor ne suo ingenio nimis indulgens saepe speciosiora quam veriora proposuerit; neque multum a vero mihi aberrare videor, si alteram quamque ab eo propositam coniecturam incertam aut inutilem, quintam quamque, ut levissime dicam, falsam ac perversam esse dico. Atque ut iam ab aliis reprehensa omittam, paucis exemplis meum iudicium a procacitatis crimine defendam: III, 361 librorum lectionem *ducat* Lachmannus Lambinum secutus non minus temere quam IV, 682 mutavit in *dicit;* nec video, cur in posteriore loco a verbo *ducit*, idem valente quod est 'indicando ducit', modus coniunctivus pendere nequeat. Neque magis Lachmanno versum proximum III, 362 delenti assentior, in quo haec inest sententia ab illo non perspecta: ut oculos, non animum cernere iudicemus, oculorum sensu adducimur et quasi detrudimur, cum acies oculorum ipsa rebus externis moveatur, atque varia natura colorum modo iucundo modo taetro sensu afficiatur. Etiam magis ordo sententiarum turbatur eo quod Lachm. III, 428 scripsit *iam longe* eius loco quod est in codd. *nam longe*, quo commento et falsam interpretationem argumentationi supposuit, et poetam subtilem primordiorum animi naturam supra III, 187 sqq. ex eadem mobilitate animi collegisse oblitus est. Alio loco III, 663 cum unam difficultatem removere studeret, alteram etiam graviorem intulit. Nam si Lachmanni coniecturam *dolorem* admiseris, illud *icta* nude positum iam sua vi destitutum est; immo serpens illa *ferro discisa* retro partem ore petere eamque dolore icta ardenti morsu vulnerati membri premere dicitur. Nec Bentleii iuvenis auctoritate defenditur alia coniectura, ex qua Lachm. V, 503 scripsit *hic*, Naugerium idem non vidisse miratus. Nam manifestum est has terrenas et aerias turbas tranquillae nec procellis turbatae aetheris naturae contrarias poni. Quod autem Lachm. primus V, 1409. *Et numerum servare s o n i s didicere* scripsit, in eo longissime a vero aberravit, cum haec verba ad graciliores saltationes suae aetatis poetam rettulisse appareat ex V, 1401: *Atque e x t r a n u m e r u m procedere membra moventes*, quo rudiores motus antiqui aevi describuntur. Nec si in reliquis locis post formulam *mirabile est* modum indicativum Lucretius ponere solitus est, fas erit V, 667 *possunt* corrigere, quo in loco coniunctivus hypothetica sententiae conformatione flagitatur. Iam quod Lachmannus V, vv. 509 — 33 ut alieno loco collocata uncis inclusit, Bernaysium secutum esse miror, quem ex Platonis Timaeo et Aristotelis libro de caelo non ignorare par fuit, primum de aequabili totius mundi, deinde de variis singulorum membrorum motibus agendum fuisse. Quis vero credat Lachmannum IV, 271 et 278 non vidisse res vere per ianuam apertam transpectas speciosis aequore speculorum procreatis imaginibus ex adverso poni? Sed h. l. Bernaysius prudentius egit, et codd. scripturam restituit, quo magis miror eum versum 290 in alium etiam minus idoneum locum transferre, quam in suum locum restituere maluisse. Haec sufficiant, ut intelligatur, quantopere ii fallantur, qui in Lachmanni verba iurantes aliorum

sententias irridere quam refutare malint. De aliis locis, in quibus menda tralaticia alia ratione tollenda esse mihi videntur, in altera commentationis parte acturus sum.

Restat ut, quid Bernaysius, vir doctissimus, cuius curis editio Teubneriana a. 1852 prodiit, in Lucretii studiis promovendis effecerit, paucis verbis complectar. Atque is quidem insigni laude ornandus est, quod cum in aliis locis feliciter ingenii periculum fecit, tum his emendationibus inveterata sermonis vitia egregie sustulit: I, 469 *saeclis*, II, 719 *hisce eadem*, 911 *nam ratio*, III, 531 *scinditur aeque animae haec*, ubi tamen *haec* cum Lambino abesse malim, IV, 321 *aer Ater init*, V, 531 *siet hic quoque*, VI, 899 *taedaeque latentis*. Nec minus laudandus est, si quo loco incertas Lachmanni coniecturas improbavit atque ad lectiones codd. fide confirmatas rediit. Quamquam ipsum quoque Lachmanni auctoritate nimis captum multa incerta et falsa repetiisse et Bergkius l. l. p. 328 significavit et ipse aliquot locis iam antea docui pluribusque inferius docebo. Neque tamen eidem crimini verterim quod aliquot emendationes a Lachmanno ob grammaticas quasdam vel metricas rationes propositas probarit. Licet enim illas leges a Lachmanno exploratas iam omni ex parte stabilitas esse negaverim, tamen ad eas confirmandas vel refutandas amplioribus studiis et uberiore disputatione opus est. Unum tamen, quod sciam, praeceptum Lachmanni, qui a Lucretio particulam *et* ita positam esse ut idem quod *etiam* valeret negaverat, cum Bernaysius reprobasset, uno loco VI, 749 *Est et Athenaeis* illud *et* a Lachmanno eiectum restituere neglexit. Denique facere non possum quin illud in eiusdem viri cura reprehendam, quod in aliquot talibus locis, quos Lachmannus vitiose scriptos ad nostram aetatem pervenisse recte ille quidem primus docuerat, sed audaciore manu correxerat, Bern. alia aeque incerta proferre conatus est. Is igitur cum aliis in locis, ut I, 720, II, 210, 673, 829, III, 84, 985 (ubi recte Naugerius *Si grata fuit* cf. v. 538), IV, 1011, VI, 45, 131 (ubi verum esse censeo: *saepe ita dat clarum*), VI, 490, 563, coniecturas elegantes illas quidem, sed aeque incertas, tum III, 420 falsam proposuit (v. Bergk. l. l.); pessime vero VI, 187 *inferne* et VI, 558 *tum* scripsit; denique III, 687 novam emendationem proferre quam ad codd. auctoritatem, analogia illam firmatam (cf. I, 135, IV, 734), recedere maluit. Sed tempus est ut ad eos locos transeamus, quos accuratius tractare nobis proposuimus.

I, 391 *Quod si forte aliquis, cum corpora dissiluere,*
tum putat id fieri, quia se condenseat aer
errat.

Recte sententiarum cohaerentiam Creechius perspexit, qui hunc locum truncatum esse ratus aliquot versus excidisse iudicaverit. Nam cum Lucretius spatium ex diremptis duobus corporibus ortum, priusquam aeris auris compleretur, ab inani possideri dixisset, is qui poetae rationi oblocutus est, dicere debuit, aera concursu corporum condensatum eo ipso tempore, quo corpora dissilirent, nulla mora intercedente in ampliorem locum extendi. Itaque aliquis dixerit aut scribendum fuisse: *cum corpora dissiliunt, tum putat id fieri*, aut: *cum corpora dissiluere, tum putat id factum esse.* Neque tamen quidquam mutandum est; est enim

lex linguarum sanscritae, graecae, latinae, ut simplex praesentis temporis forma sufficiat, cum tempus aliqua particula temporali indicatur. Atque exempla sanscrita quidem quominus afferam typographicae rationes obstant, et fortasse alio loco de pluribus syntacticis legibus harum linguarum communibus agam; graeca habes ex magno numero haec: Hom. Od. XII, 98:

Τῇ δ' οὔ πώποτε ναῦται ἀκήριοι εὐχετόωνται παρφυγέειν σὺν νηΐ.

Soph. Electra v. 1101 *Αἴγισθον ἔνθ' ᾤκηκεν, ἱστορῶ πάλαι,* Aristotelis anal. post. I. c. I. *ἔστι δὲ γνωρίζειν τὰ μὲν πρότερον γνωρίζοντα, τῶν δὲ ἅμα λαμβάνοντα τὴν γνῶσιν.* Latinum mihi ex Cicerone unum exemplum in promptu est in or. Phil. XIII. §. 8: *Nam cum Magnum Pompeium .... adduxit ad pacem remque publicam sine armis maximo civilis belli periculo liberavit, tum me eius beneficio plus quam pro virili parte obligatum puto.* In Lucretio ipso similia sunt haec: III, 679: *Praeterea si iam perfecto corpore nobis Inferri solitast animi vivata potestas Tum cum gignimur et vitae cum limen inimus, Haud ita conveniebat* etc. et III, 972: *Respice item quam nil ad nos ante acta vetustas Temporis aeterni fuerit, quam nascimur ante*; denique III, 901 poeta, cum antea semper tempore futuro (*accipiet*, *occurrent*, *tangent*, *poteris*) usus esset, addidit: *Nec tibi earum Iam desiderium rerum super insidet una*, quo in versu emendando frustra editores laboraverunt. Praeterea ad eandem orationis legem illa referenda sunt, quod boni scriptores verbo *meminisse* infinitivum praesentis, et coniunctioni temporali *dum*, cum res eodem tempore facta esse declaratur, tempus praesens adiungere solent. Nam *dum* antiquitus idem fuisse quod *tum* peritum grammatices comparativae fugere non potest. Sed haec longius persequi hic neque locus nec tempus est.

I, 551 — 599 Horum versuum ordinem foede perturbatum esse primus perspexit Marullus, qui vv. 551 — 564 transposuit post 583, quo facto offendunt sane duae argumentationis particulae ab eadem coniunctione *denique* inceptae, quamquam non minus in vulgato versuum ordine prius *denique* (v. 551) inconcinnum est. cf. Spengelium l. l. p. 790. Mihi ea, quae de frangendis corporibus poeta tradit, cum iis, quae de minimo docentur, ita cohaerere, et Lucretius ipse hunc nexum versibus 747, 8: *Deinde quod ..... faciunt neque pausam stare fragori, Nec prorsum in rebus minimum consistere quicquam* tam perspicue significasse videtur, ut versus sic recte disponere mihi videar: 565 — 576, deinde 584 — 598, quibus versibus prior pars de simplicitate primordiorum absolvitur; deinde sequuntur versus, qui de fine rebus frangendis reddito agunt 577 — 583 et 551 — 564; iam aptissime hos versus excipit tractatus de minimo, qui orditur a versu 599. Nondum tamen ex omni parte locus sanatus est; Lucretius enim ita argumentari videtur: si corporum fragor nusquam staret, principia genitalia ita ex ineunte aevo redacta ac diminuta essent, ut animantes nunc non eodem tempore, quo antea, ad florem aetatis pervenire possent; — genuina enim duco verba *summam aetatis pervadere finem* coll. II, 1120, 30, et ad tuendum accusativum et genus femininum VI, 742 et II, 1116. Iam quae sequuntur *nam quidvis citius* etc. tantum abest, ut causam huius rei explicent, ut aliam argumentationem inferant. Accedit, quod poeta in conclusione duas res apertissime distinguit cum dicit: *quoniam refici rem quamque videmus, Et finita*

simul generatim tempora rebus stare. Hanc difficultatem simplicissime removebimus scribentes v. 556 *Iam quidvis.* Particula enim *nam* Lucretius semper ad causam praecedentis sententiae inferendam usus est, neque ullum locum novi, ubi sit particula transitionis praeter hunc et III, 888: *nam si in morte malumst malis morsuque ferarum Tractari, non invenio qui non sit acerbum Ignibus impositum calidis torrescere flammis.* Sed cum confusio utriusque significationis a logicis operis philosophici rationibus nimis abhorrere videatur, illo quoque loco emendare non dubito: *iam si.* Ad confirmandas denique has coniecturas aliquid praesidii id affert, quod simili lapsu cod. V. IV, 404 habet *namque,* ubi in codd. Leidd. recte *iamque* legitur.

I, 599 *Tum porro quod iam est extremum quodque cacumen*
corporis illius, quod nostri cernere sensus
iam nequeunt, id nimirum sine partibus extat.

Nescio an is, qui lectionem codd. *illius* mutat in *ullius,* a vera argumentandi ratione valde aberret; collatis enim vv. 749 — 52 Epicurei sic ratiocinati esse videntur: in rebus, quae sub sensus cadunt, minimum quodque est extremum; ergo in corporibus, quae non iam oculorum acie cerni possunt, extremum cacumen, quod quidem cuiusque corporis esse debet, minima constat natura nec partes includit; inde apparet neque hoc loco illud *illius* esse sollicitandum, nec I, 752 codici V. *miminum consistere rebus* exhibenti fidem denegandam esse.

I, 681 *Nil referret enim quaedam decedere, abire*
atque alio attribui.

Primordia, quae ab aliis rebus decedant, alias augere atque alere Epicureis placuisse me non praeterit; cf. II, 72 sqq., V, 322. At non minus mihi liquet illam vicissitudinem ad hunc locum non attinere, quo res elementorum abitu aut aditu aut permutato ordine mutari demonstratur; vide vv. 77 sq. Inde recte correctorem in cod. V. *alio* mutasse in *alia* iudico; ut apparet ex v. 800 *posse eadem, demptis paucis paucisque tributis, Ordine mutato et motu facere aëris auras.*

I, 742 *Primum quod motus exempto rebus inani*
constituunt, et res mollis rarasque relinquont,
aëra, solem, ignem, terras, animalia, fruges.

Lumina solis raro corpore constare Lucretius docet II, 108: *haec aëra rarum Sufficiunt nobis et splendida lumina solis;* nec urgeo lumina solis, non solem ipsum illo loco rarum dici. Non minus autem aperte solis naturam igneam esse poeta cum alias tum V, 566 sqq. declarat, unde conficitur eo loco, de quo agimus, duobus vocabulis *solem ignem* eandem rem significari. Sed accedunt graviora; neutiquam enim veri simile est Lucretium cum reliqua elementa recenseret, id hoc loco praetermisisse, de quo ipse dixit I, 281: *et cum mollis aquae fertur natura repente;* cf. II, 375 *mollibus undis.* Poetam vero hoc quoque loco quat-

tuor elementa enumerasse manifestum est ex I, 567, quo idem error Heraclito hisce verbis obiicitur: *mollia quae fiunt, aër, aqua, terra, vapores.* His consideratis vix dubium esse potest quin scribendum sit: *aëra, rorem, ignem;* eadem enim voce significat Lucretius fluidum elementum I, 777: *mixtusque videbitur aër Cum terra simul atque ardor cum rore manere.*

I, 873 *Praeterea tellus quae corpora cumque alit, auget*
Ex alienigenis, quae lignis exoriuntur (sic etiam cod. V.).

Hos versus cum Marullus delevisset, Lachm. paulo immutatos restituisse valde miror, cum in altero certe ratio interpolatoris certissime demonstrari possit. Nam cum poeta v. 870 eandem causam *totidem verbis* ad alias quoque res transferri posse dixisset, nugator nescio quis, ut documentum rei ederet, ex versu 869 voci *terra* alia totidem literarum substituta versum 874 finxit. Hac re significata nemo, opinor, erit, quin hunc versum una cum praecedente eiicere quam Lachmanni inconditos versus ingerere malit.

I, 1061 *Et simili ratione animalia suppa vagari*
contendunt.

Nulla fuit causa, cur Lachm. particula *et* orationem conectente sublata scriberet *adsimili.* Est enim sane similitudo simulacrorum, quae per aquas videmus, et ponderum, quae retro posita sive resupina in terra requiescere dicuntur. Lachmannus ita argumentatur, tamquam nullarum rerum nisi animantium simulacra in aqua conspiciantur; at omnium rerum simulacra ferri Lucretius IV, 42 sqq. probat, atque non magis animalium quam arborum et saxorum simulacra in aquis cerni docent oculi ipsi.

II, 105 *Paucula quae porro magnum per inane vagantur,*
cetera dissiliunt longe, longeque recursant.

Sic verba prava Lachm. et Bern. interpunctione sublata coniungenda sunt. Iam Lambinus, cum sub verbo *cetera* mendum aliquod latere perspexisset, haesit, utrum ex sua coniectura *Et cita,* an ex emendatione docti cuiusdam viri *Citaque* legeret. Wakefieldus, Forbigerus, Lachmannus, Bernaysius *cetera* restituerunt; egregie vero, quasi illa primordia, quae per inane vagari et a conciliis rerum reiici dicuntur (v. 109), ne numeri quidem esse videantur. Nec tamen Lambini emendationes mihi placent, cum cieri principia motu, non concursu dicantur; ipse legendum esse duco *concita,* quo verbo ad ipsum illum concursum exprimendum poeta usus est II, 439 *semina confundunt inter se concita sensum.* Particula autem copulativa suppressa quasi compensatur ictu incipientis versus, quam eandem vim habemus II, 342, III, 499, III, 1034, I, 884, quem postremum locum audacius Bergkius l. l. p. 318 tentavit.

II, 434 *Tactus enim, tactus, pro, divum numina sancta*
corporis est sensus, vel cum res extera sese
insinuat, vel cum laedit quae in corpore natast
aut iuvat egrediens genitalis per Veneris res,
aut ex offensu cum turbant corpore in ipso
semina, confundunt inter se concita sensum.

Non intelligo Lachmannum, qui novam rem duobus extremis versibus subiici dicat. Immo vero, cum poeta v. 442 ad rem probandam redeat, paucula, quae interiecta sunt vv. 434 — 41, omnia ad definitionem sensus necessario sunt referenda. Itaque neque particula disiunctiva *aut* (v. 438) sollicitanda, nec copulativa *que*, a Marullo adiecta, reiicienda fuit, nisi quod insuper *conpunguntque* legendum esse censeo; quo enim pacto ratione exposita sensus confundantur non intelligo, quoniam principia turbantur, sensus non minus propria manu corpori admota quam aliena cietur.

III, 450 *aeraque quae claustris restantia vociferantur.*

Quae sint illa aera docent Vergilii verba Aen. II, 490 *postesque a cardine vellit Aeratos;* sed quid illud *restantia* vel Bentleii *restantibus* sibi vellet, probabilem explicationem nec ipse inveni, nec alius mihi suggessit. Ne tamen facili emendatione *claustris stridentia* scribam, illud me prohibet, quod tum potius *portis* quam *claustris* exspectares. Itaque ex vestigiis cod. V., in quo est *claustra resertantia*, scribere malim: *aeraque quae claustris reseratis vociferantur*, i. e., aera quae, cum claustris remotis valvae aperiuntur, stridorem edunt.

II, 456 *Omnia postremo quae puncto tempore cernis*
diffugere, ut fumum nebulas flammasque, necessest,
si minus omnibu' sunt e levibus atque rutundis,
at non esse tamen perplexis indupedita,
pungere uti possint corpus penetrareque saxa,
nec tamen haerere inter se quod cumque videmus
sensibus sedatum etc.

Distinctis corporibus hamatis et rotundis poeta addit alias res, quae nec spissis nec levibus primordiis constent, quem in numerum nebulas, fumum, flammas refert: has enim res aliis quibusdam elementis constare, ut et laedere sensus et cito diffugere atque aëra penetrare possint; iam cum elementa eorum, quae in altum tollantur, inter se haerere nequeant, fatendum esse illas res elementis acutis constare. Quae si recte disputavi, haud scio an vere v. 460 emendemus: *penetrareque supra* et 462 *sursum esse elatum*. Fumus flammaeque autem supra penetrare simili modo dicuntur, atque animus *supera succedere fauces* perhibetur (III, 609). Haec certe veri similiora duco, quam quae Lachm. et Bern. scripserunt; nam quod Purmannus l. l. p. 673 proposuit *ignibus esse datum*, nemo probabit, nisi forte nebulas ex igni progigni opinabitur.

II, 522 — 531. Finita varietate primordiorum primordia simili figura perfecta infinita esse, hoc quidem tam certe ex praecedente argumentatione efficitur, ut si quid inconditi sit in repetitis eisdem versibus **478** et **522**, sedes corruptelae potius in priore quam in posteriore versu quaerenda sit. Praeterea quod Lachmanno visum est, versibus **529** — **531** idem placitum Epicuri minus perspicue exponi, mihi potius prorsus alia res iis significari videtur. Accedit, quod argumentatio inde a v. **532** instituta cum placito vv. **522** — **25** praemisso tam arcte cohaeret, ut ne maior quidem lacuna ante v. **529** cum Bernaysio statui possit. Infinita denique aut varietas formarum aut copia primordiorum eiusdem cuiusque figurae esse debet, si et summa materiae infinita constat, et nova semper corpuscula materiae ex infinito suppeditantur: illud poeta libro primo probavit, hoc II, **1105** sqq. ostendit. Has ob causas sine ulla dubitatione V, **528** sq. scribo: *id quod non esse probavi, Nec secus ostendam.* Sententiis enim relativis alias laxiore vinculo saepius Lucretius annexit; cf. IV, **964**, V, **896**, V, **952**.

II, 817 *Praeterea quoniam non certis certa figuris*
est natura coloris et omnia principiorum
formamenta queunt in quovis esse nitore, etc.

Sententia de coloribus his verbis exposita cum nec communi hominum consensu probetur, nec Lucretio ipsi placuerit, sed quasi refugium sit eorum, qui, principia certis coloribus tincta esse negare coacti, quemvis colorem primordiis *δυνάμει* inesse contendunt: mihi haud probabile esse videtur, poetam ad rem futilem conectendam particula *quoniam* usum esse. Immo sic potius scripsisse videtur: *Praeterea quoque iam ni certis* etc. Eadem autem ratione a librariis I, **1083** peccatum esse recte Lambinus vidit, cum scriberet: *Praeterea quoque iam non* etc. Quamquam enim nescimus, quae verba illic post **1093** exciderint, crediderim tamen ea, quae exstant, non suspensa oratione dicta esse, sed perfectam sententiam, qua istis inconstantia exprobratur, continere.

II, **902** *Deinde ex sensilibus qui sensile posse creari*
constituunt porro ex aliis sentire suëtis
mollia cum faciunt.

Wakefieldum, qui omnem sententiam perverteret, a vero aberrasse non est mirum, sed illud mirum Lachmannum hoc loco inanibus coniecturis indulsisse. Namque ex v. **907** luce clarius apparet Epicureos iis, qui ex principiis non sensilibus sensilia gigni negaverint, vitio vertisse, quod tali ratione ex principiis caducis et mortalibus sensilia orirentur. Idcirco non est dubium, quin ante v. **904** versus exciderit, cuius non tantum sententiam sed fere verba ipsa praestare possis; videtur enim poeta scripsisse:

constituunt porro ex aliis sentire suëtis,
principiis constare putant mortalibu' sensus,
mollia cum faciunt.

II, 931 — 972. Epicurus, quippe qui omnia ex primordiis (ἀτόμοις) oriri opinatus sit, ea, quae modo sensilia, ut Arnobii verbis utar, fuerint, viva fieri et spiritali agitatione moveri persuasum habuit. Iam cum ova in pullos conversa et vermes e stercore exortae huic sententiae aliquid adminiculi praebere viderentur, exstiterunt, qui sensilia illa quidem ex insensilibus, sed mutatione quadam interposita fieri dicerent. Haec sententia his verbis declarata est:

> *Quod si forte aliquis dicet, dumtaxat oriri*
> *posse ex* (*eu V.*) *non sensu sensum mutabilitate* (*mubilitate* V. m. pr., ut videtur)
> *aut aliquo tamquam partu* (*partum V.*), *quod proditur extra:*

quae verba sic explico: *sensile* gignitur ex insensili innata immutationis facultate aut aliquo processu, qui cum res in lucem proferat, partus nomen sibi asciscat. Falsum enim esse Marulli commentum „*ante aliqua*“ a Lambino probatum, a Wakefieldo et Forbigero etiam ineptius in *ante aliquo* detortum, ex ipsa vi, quam in vocabulo mutabilitatis inesse significavi, satis apparet; vim autem coniunctionis causalis hoc loco particulae *quod* inesse monere supersedissem, nisi interpretes falli viderem. Istos igitur adversarios poeta refutat summo atque gravissimo decreto philosophiae Epicureae repetito: *nihil pari fierive nisi coalescente materia* (cf. II, 1061, 1065), *nihil interire morive nisi dissolutis primordiis*, cf. Diog. Laert. X, 66 ἀλλὰ μὲν καὶ τόδε λέγει (Ἐπίκουρος) ἐν ἄλλοις καὶ ἐξ ἀτόμων αὐτὴν (τὴν ψυχὴν) συγκεῖσθαι. Quod ut probet, primum docet sensum non gigni, priusquam disiecta materia coetu congressa sit — 943, deinde eundem sensum perire, si vehementiore ictu principia dissolvantur — 962. Tum denique verbis *praeterea quoniam* nova argumentatio instituitur, cuius summa est: *cum dolor ac voluptas principiis aut ex sedibus evulsis aut in easdem reversis excitari soleant, principia ipsa omnis affectus sive sensus immunia sunt.* Hac re sane difficillima explicata apparebit, opinor, quanto opere Lachmannus in tribus locis (937, 943, 963) ingenio suo nimium indulgens erraverit. Unus tamen versus 936 in hac carminis parte corruptus videtur; verba enim *nec quicquam commutari sine conciliatu* vix probabili ratione explicari possunt; ipse comparans III, 756, *quod mutatur enim dissolvitur*, hanc emendationem propono: *commutari nisi concutiatur.* Memoratu denique digna est coniectura Pontani, quem in suo codice 941 *NEC* in *HEC* mutasse Victorius tradit: quam ego emendationem, donec in vulgata lectione probabilis explicatio particulae *modo* afferatur, probandam et verbum *contulit* vi temporis ἀορίστου aeque atque IV, 37, *excierunt* usurpatum esse existimo.

II, 1120 *Omnibus his aetas debet consistere rebus,*
hic natura suis refrenat viribus auctum.

Quod Lambinus in altero versu *his natura* scripsit, ut idem vocabulum, quod in versu antecedente fuerat, rediret, minus probo, praesertim cum *his* ne commode quidem explicari possit. Scribendum fuit in priore versu *omnibus hic.*

III, 117 *Nunc animam quoque ut in membris cognoscere possis*
esse, neque harmonia (*harmoniam V.*) *corpus interire solere.*

Hoc loco Lachm. Wakefieldum, quem quavis occasione oblata acerbissimis conviciis carpere solet, magna laude ornat, ut qui unus *corpus sentire* legendum esse viderit. Sed vellem Lachmannus ut alias minus dicax, sic hic magis sibi constans fuisset. Lucretius enim inde a v. **98** harmoniam, quam animi naturam esse Aristoxeno placuerat, ad munera nec mentis (**98** — **105**) nec animae (**117** — **127**) peragenda sufficere probat. Iam cum sensus animi sint proprii (v. **101**), vigor vitalis animae sit natura, apparet nihil ad animam verbum *sentiendi* pertinere. Ex me si sententiam quaesiveris, versu **324**, in quo animus corporis custos eiusque salutis causa dicitur, moveor ut hic quoque simile quiddam latere putem; emendo igitur: *neque harmoniam corpus m u n i r e solere.*

III, 612 *Quod si inmortalis nostra foret mens*
non tam se moriens dissolvi conquereretur,
sed magis ire foras vestemque relinquere, ut anguis.

Cum poeta, ut animam una cum corpore interire doceret, animae vim non integram, sed distractam corpore exire (καπνοῦ δίκην σκίδνασθαι Sext. Emp. adv. math. IX, **72**) dixisset (**580** — **91**), hanc sententiam argumento ex sensu communi hominum petito confirmare studuit: neque enim quemquam sentire animam incolumem quasi per fauces evolare, sed potius in ipso pectore dissolvi. Quod si quis tenuerit, versu, quem Marullus post **614** adiecit, *gauderet, praelonga senex aut cornua cervus*, vim totius argumentationis profligari facile intelliget; id enim poeta dicere debuit: *si mens immortalis esset, non dissolveretur, sed foras exiret.* Iam poeta elegantissimus rem pueriliter instituisset, si in ipsa argumentatione animam, quasi causa iam diiudicata, morientem dixisset. Atque prudentius sane idem poeta supra egit (**607**), cum hominem morientem sentire animam incolumem decedere negaret. Nec dubium est, quin hic quoque *moriens* non animus, sed homo intelligendus sit. Quae cum ita sint, ex lectione quadrati *tamen* hanc elicio emendationem: *non t a m e a m, moriens dissolvi conquereretur;* unde ad alteram enunciati partem per ζεῦξιν cognatum verbum sentiendi supplendum est. Hoc autem hiatus genus similibus exemplis II, **1082** *sed dum abest*, IV, **1061** *nam si abest*, V, **7** *nam si ut ipsa*, VI, **277** *semina seque simul cum eo* ita defenditur, ut ad antiquam pronominis formam *sam* ab Ennio aliquoties usurpatam recurrere non opus sit. Quod autem v. **591** arctius cum v. **607** cohaerere docui, interiectam partem de anima subita vi collabefacta ad aliud argumentandi genus pertinere ex conclusione huius partis **603** — **606** intelligitur; animum autem quasi tegmine corporis sublato in aëre sensiferos motus moveri non posse summa fuit praecedentis argumenti, unde apparet illos versus post v. **579** collocandos esse. Pertinent enim ad illa carmina, quae poetam altera cura addidisse, nec morte interruptum cum reliquis conglutinasse Lachm. acutissime demonstravit; quam eandem rationem ipse ad Aristotelem emendandum transtuli in libro, quem ante hos duos annos de Aristotelis libris metaphysicis conscripsi.

III, 631 *At neque sorsum oculi neque nares nec manus ipsa*
esse potest anima neque seorsum lingua neque aures
auditum per se possunt sentire neque esse.

Lachmannus Wakefieldi stolido commento, qui *seorsum anima* coniunxit, merito reiecto, ipse emendatione Pii *animae* recepta in alias non minores difficultates incidit. Ac primum quidem *seorsum* nude positum idem quod *secretum a corpore* valere nec ipse probavit, nec omnino probabile est. Tum hac coniectura admissa duo deinceps versus ita se excipiunt, ut eius vocis, in qua cardo argumentationis vertitur, primum numerus singularis (*animae*), deinde pluralis (*possunt* sc. animae) ponatur, quae nimia foret inconcinnitas. Deinde libri tertii versibus 551 sq. *et vel uti manus aut oculus naresve seorsum Secreta ab nobis nequeunt sentire neque esse* monemur, ut hunc quoque extremum versum ad eosdem sensus referamus. His rationibus commotus sic locum totum emendo:

at neque sorsum oculi neque nares nec manus ipsa
esse potest h o m i n e a, neque sorsum lingua, neque aures
a u d i t u per se possunt sentire neque esse.

Praepositio nomini, cui adhaeret, postposita nihil offensionis habet in Lucretio; cf. I, 90, 316 841, 937. Animum vero sine corpore et ipso *homine* vigere non posse idem poeta dixit III, 555 et Q. Curtius Rufus ab eadem ratione profectus X, 19: *Proinde quoniam nihil aliud ex eo superest, quam quod semper ab immortalitate seducitur, corpori hominique iusta solvamus.* Denique *auditu sentire*, quae est Havercampi emendatio, eodem modo dictum esse puto, quo Plato Legg. 900 A. δι᾽ ἀκοῆς αἰσθόμενος scripsit.

III, 792 *et innasci quavis in parte soleret*
tandem in eodem homine atque in eodem vase manere.

Versum 793 ut aliqua ex parte rei hic expositae accommodaret, vel maxime temerarie Faber immutavit. Mihi quoque ab hoc loco alienissimus esse videtur, sed quid de eo faciendum sit, fortasse apertius elucebit versu quoque 805 in quaestionem vocato: *iunctum in concilio saevas tolerare procellas.* Hunc igitur in oblongo rubrica literisque uncialibus scriptum esse, in quadrato desiderari Lachmannus testatur, V. autem eum in ras. m. 2. ita scriptum habet, ut dispici non possit, quid lateat in rasura. Atque est sane, cur valde suspectus videatur. Primum enim nihil desideratur quod ad sententiam versus praecedentis explendam adiectum velis; deinde non mortale cum immortali coniunctum saevas procellas sustinet, et contra cur immortale cum corpore mortali consociatum perpetuas turbas toleret, non intelligitur. Quae cum ita sint, hos duos versus margini adscriptos a Q. Cicerone falsis locis interpositos esse iudico; collocandi autem fuerunt post v. 800 hac ratione:

Quippe etenim mortale aeterno iungere et una
consentire putare et fungi mutua posse,
iunctum in concilio saevas tolerare procellas,
tandem in eodem homine atque in eodem vase manere
desiperest.

Neque moveor quod idem versus 793 cum eisdem coniunctus in inferiore loco V, 127 repetitus legitur, cum similis sit causa versuum IV, 219 sq.:

frigus ut a fluviis, calor ab sole, aestus ab undis
aequoris exesor moerorum litora circum.

Hos enim versus, quamquam VI, 925 sq. iterantur, secludendos esse mirum est neminem adhuc vidisse. Namque res in iis enumeratas in odorum numerum referre nemo volet, nec si poeta corpora ad omnes sensus ferri aliis exemplis satis incommode probare voluisset, ea secundo sed aut primo aut ultimo membro adiicienda erant. Sunt autem illi versus iis adnumerandi, quos Lucretius ad marginem exempli adscripsit, nec tempus nactus est, eos cum reliquo carmine consociandi.

IV, 108 sqq. Vix ullo loco versuum ordo magis perturbatus est, quam in priore parte libri quarti. Sed quamquam in ordine pristino restituendo egregii acuminis specimina Marullus ad 45 — 48 et Lambinus ad 129 — 142 ediderunt, nondum tamen res omnibus numeris absoluta videtur. Ac primum facile est intellectu vv. 174 sq. *quorum quantula pars sit imago dicere nemost Qui possit, neque eam rationem reddere dictis* ad quaestionem de tenuitate imaginum v. 110 instituta pertinere, ac singulorum eius rei argumentorum conclusionem complecti. Deinde apparet primam quaestionem de tenuitate (110 sqq.), et alteram de celeri origine (v. 145 sqq.), et tertiam de mobilitate simulacrorum (v. 176 sqq.) tam arcte inter se cohaerere, ut eas alienis quaestionibus a poeta interruptas esse prorsus incredibile sit. Praeterea, ne versum 127 a v. 129 dirimamus idem verbum *vagari* in utroque repetitum prohibet. Versibus denique 127 sq. *quin potius noscas rerum simulacra vagari Multa modis multis, nulla vi, cassaque sensu* conclusionem quaestionis de tenuitate imaginum non contineri verba acrius pensitantem non fugiet. Quo igitur haec verba collocanda sunt? Equidem non dubito, quin versui 109 postponenda sint et cum duobus praecedentibus versibus coniuncta hanc sententiam efficiant: *solo speculorum aequore, ut quo crebrae imagines earundem rerum reiiciantur, simulacra rerum redduntur atque conspiciuntur, unde cognosci potest multa praeterea simulacra vagari, nec tamen cerni* (*sensu cassa*). Iam aptissime adiiciuntur vv. 129 — 140, quibus alia insuper simulacra, quae sponte in ipso aëre nascantur, vagari poeta docet. cf. IV, 737. Inde Lucretius ad subtiliorem de imaginibus doctrinam singillatim pertractandam pergit; ac primum imagines subtili natura constare probat vv. 110 — 126 et 168 — 175; tum demum ad alteram doctrinae partem transit v. 143. Decretum autem Epicuri de tenuitate simulacrorum duobus argumentis probat, quorum prius ex subtili et minuta principiorum natura sumptum est — nam si prima corpora minutissima sunt, etiam tenuiores imagines illorum esse debent, cf. III, 630 sqq.; subtilem autem primordiorum naturam esse, iterum — tollenda enim est perversa Lachm. interpunctio, vulgata restituenda — strictim et ex brevitate quorumdam animalium et ex tenuitate animi animaeque demonstratur. Altero autem argumento, a rebus illo simulacrorum naturae cognatis, ab odore et imbrium atris formis profecto, simulacra, cum inaestimabili ratione minora sint, etiam multo subtiliora esse comprobatur. Hac autem in

parte post v. 126 aliquid excidisse attentum lectorem fugere non potest, quam quidem lacunam haud inepte mihi sic explere videor:

quorum unum quidvis leviter si forte duobus
attrectas digitis, extemplo exalat odorem
cunctas in partes, graviter naresque lacessit.

Titulum denique *esse item maiora*, quem in indice libro praeposito exstare Lachm. refert, ad illa verba *quorum quantula pars sit imago* pertinere existimo, quod si quis minus aptum esse dixerit, ab eius stupore, qui haec capitula disposuit, nihil omnino sani exspectari potuisse ego dico.

IV, 193 *Primum quod parvola causa*
est procul a tergo quae provehat atque propellat,
quod superest, ubi tam volucri levitate ferantur.

Extremum versum Lachm. traiecit post v. 205, securus, qua ratione reliqui versus hoc modo mutilati explicari possint. Quid enim? Simulacra pari celeritate per inmensum spatium feruntur, quia *parvula* causa eaque *procul*, non ex propinquo propellit? Multo saniore iudicio Marullus usus est, cum illud *procul* ab hoc loco alienum esse ratus emendaret: *est satis a tergo*. Ego hac temeraria emendatione reiecta illud *est* a librariis eodem errore quo III, 725 ex clausula praecedentis versus in initium proximi translatum esse existimans totum locum sic constituendum esse censeo:

Primum quod parvola causast
protelo a tergo, quae provehat atque propellat,
quod superest, ubi tam volucri levitate feruntur (sic enim cod. V.).

Dicit enim poeta: parvula causa i. e. plaga insequens semper adest, qua simulacra propellantur, sed haec parvula sufficit, cum simulacra tam levem ac subtilem naturam habeant. Verbo autem *superesse* me iure hanc vim tribuisse declarat Vergilius georg. III, 127 *ne blando nequeat superesse labori.*

IV, 653 *Nunc aliis alius qui sit cibus ut videamus*
expediam.

Merita laude Lachm. ornandus est, qui primus sententiam, quae in hoc loco inesse debet, perspexerit. Nam poeta cum antea nihil, quo cibo corpora alerentur, referre dixisset, nunc addit, quare alius alii cibus magis conveniat. Sed quod ille coniecit *unicus aptus* non magis probabile est quam quod Bernaysio in mentem venit *suppeditatus*. Ipse poetae ipsius verba VI, 773 *et magis esse aliis alias animantibus aptas Res ad vitai rationem ostendimus ante* secutus in archetypo fuisse credo *cibus vitae aptus*, unde traiectis verbis scribo:

Nunc aliis alius qui sit vitae cibus aptus
expediam etc.

IV, 777 — 817. Lachmannus cum vv. 799 — 801 hoc loco eiiceret, parum ad res expositas animum attendit. Primum enim poeta grata quadam derisione duas falsas causas affert, unde fiat, ut et animus rei, quaecunque ei placuerit, continuo simulacra tueatur, et imagines somniantibus membra movere videantur (777 — 93). Iam cum veram causam in dividua temporum natura et innumera simulacrorum copia positam esse docuisset (794 — 99), utramque rem ex hac ratione explicare conatur (799 — 801 et 802 — 806). Sin versus, quos Lachmannus seclusit, poeta h. l. non repetiisset, tum, opinor, potius *sed quia* quam *et quia* in v. 802 scripturus fuit. Ceterum omnem hanc partem vv. 777 — 817 non eo consilio, ut ceteris insereretur, a Lucretio scriptam esse Lachm. verissime docuit. Nam Lucretium, cum primam his versibus curam impenderet, versum 776 cum v. 818 coniunxisse cum aliis de causis tum ex repetito verbo *suppeditandi**) luculentissime apparet. Neque tamen minus certum iudico Lucretium postea vv. 777 — 817 uberiore rerum copia auctos et elegantius compositos in locum exiliorum versuum 768 — 75 substituere voluisse. Restat denique, ut uni huius partis versui emendando succurram. Mendosa enim versus 804 scriptura *nisique ex se ipse paravit,* cuius loco Lachmannus coniecit: *nisi si quae ad se ipse paravit,* mihi versus proximi initium respicienti sic potius corrigenda videtur:

nisi q u e i s s e s e ipse paravit;
Ipse parat sese porro etc.

V, 122 *Quae procul usque adeo divino a numine distent,*
inque deum numero quae sint indigna videri.

Aeternis suppliciis eos, qui terram, caelum solemve deos esse negarent, cohibendos esse homines nodis vulgaris superstitionis implicati opinabantur, indigna illa esse, quae in deorum numero haberentur, Lucretius ipse docuit. Quae cum ita sint, non video, qua ratione coniunctivi *distent* et *sint* explicari possint. Haec menda et impeditam verborum structuram removebimus, si scripserimus:

quae procul usque adeo divino a numine d i s t a n t,
inque deum numero quae sint, indigna v i d e n t u r

ita ut *usque adeo* et ad *distant* et ad *indigna videntur* eadem ratione referatur, qua V, 474 sq. *quod neque tam fuerunt gravia ut depressa sederent, Nec levia ut possent per summas labier oras, tam* non minus ad *gravia* quam ad *levia* pertinet.

V, 210 *Si non fecundas vertentes vomere glebas*
terraique solum subigentes cimus ad ortus
sponte sua nequeant liquidas existere in auras.

Quid, quaeso, cimus ad ortus? Sentesne? ii enim antea (207) dicti sunt; at id ab-

---

*) Confer quae diximus ad IV, 127.

surdum; an glebas? At sic vix sanus quisquam dicet, nec tam insulse Lucretius ipse locutus est I, 211, ubi primordia rerum ad ortus cieri docuit. Itaque mihi primo haec carmina legenti in mentem venit, fortasse scribendum esse *cimus odora*, ut una specie commune genus frumenti significetur; re tamen accuratius iterum reputata nunc mihi potius hoc statuendum videtur, ante v. 210 versum excidisse, quo frumenta et plantas ad ortum excitari significatum erat.

V, 514 *quo volvenda micant aeterni sidera mundi.*

Lucretium doctrinae de terra aëre quasi librata et sole lunaque variis motibus percitis rationem orbis circumacti astrorum praemisisse supra iam indicavi. Epicurei autem, quae summa eorum in rebus mathematicis levitas fuit, aut circumacto toto caeli orbe astra quoque circumvolvi, aut astra sola immoto caelo ferri opinati sunt. cf. Diog. Laert. X, 92 *τάς τε κινήσεις αὐτῶν* (sc. *ἄστρων*) *οὐκ ἀδύνατον μὲν γίνεσθαι κατὰ τὴν τοῦ ὅλου οὐρανοῦ δίνην ἢ τούτου μὲν στάσιν, αὐτῶν δὲ δίνην.* Haec altera sententia vv. 517 — 25 exponitur, illa praemissa est his verbis:

510 *principio magnus caeli si vortitur orbis,*
514 *quo volvenda micant aeterni sidera mundi* etc.

V, 545 *usque adeo magni refert quid quaeque quaeatres.*

Extrema verba corrupta esse liquet, difficilius dictu est, quem ad modum sananda sint. Quod Lachmannus excogitavit *areat*, nec ad partes hominis inter se coniunctas transferri potest, neque quidquam praesidii ex Diogene Laertio habet. In hoc enim loco (X, 74) verba *καὶ ἡ γῆ τῷ ἀέρι ἐποχεῖται* aut corrupta aut aliter explicanda esse, ex ipsa re, de qua ibi agitur, facile apparet. Ipse in Lucretio verum duco: *quid quaeque quadret res.*

V, 566 *Nam quibus e spatiis cumque ignes lumina possunt*
adicere et calidum membris adflare vaporem
nihil (cod. V. *nec*) *nisi intervallis de corpore libant.*

Corpora sive propinqua sive remota videntur, ipsa ambitum non mutare non est quod doceatur, sed ea ne visui quidem minora maiorave videri Epicurus, nescio quo mentis stupore captus docuit. Quare nec Lachmanni *nil ea in his* nec Bernaysii *nil illa his* coniectura rei satisfacit nec dubium esse potest, quin in archetypo scriptum fuerit *nil nisi is intervallis,* unde emendatius scribemus: *nil nisi his intervallis.* De forma *is* vide, quae Lachm. adnotavit p. 262.

V, 723 *donique eam partem, quae cumque est ignibus aucta,*
ad speciem vertit nobis oculosque patentis.

Varias splendoris lunae formas ita explicari posse Epicureis placuit, ut luna ex dimidia parte lumine candens alio tempore aliam partem nobis obvertere fingeretur; plenam igitur lunam

tum fieri cum ea ipsa pars, quae tota splendore tincta est, oculos nostros feriret. Quid igitur? Ut v. 708 dictum est: *denique eum contra pleno bene lumine fulsit*, sic hic quoque scribendum esse iudico *denique eam partem, quae cuncta est ignibus aucta*. Ne tamen fraudulenter agam, silentio non praetermitto eodem sensu pronomen *quaecumque* adhibitum esse II, 905 *visceribus nervis venis, quaecumque videmus*, ubi Lachm. eadem, qua ipse, medela usus scripsit: *quae cuncta videmus*. Iudicio igitur doctorum virorum committendum esse duco, utrum utroque loco emendationem admittere an Lucretio insolentiorem huius pronominis usum adscribere malint.

V, 805 *Tum tibi terra dedit primum mortalia saecla.*

Locum corruptelae Lachm. recte perspexit, in emendando autem vereor ne a vero aberraverit. Quamquam enim homines, quippe qui diis immortalibus ex adverso ponantur, *saecla mortalia* a Lucretio nuncupantur (V, 988, 1165, 1238), dubito tamen num hoc loco sensum horum verborum tam arctis finibus circumscribere liceat, cum eisdem verbis in v. 805 omnia animalia, quorum genera iam recensentur, significentur. Cum autem versibus proximis originem hominum explicari cum alia tum verba *infantum* (810) et *pueris* (816) satis declarent, in mentem venit poetam scripsisse: *tum tibi terra dedit proavum mortalia saecla.*

V, 1041 *Proinde putare aliquem tum nomina distribuisse*
rebus, et inde homines didicisse vocabula prima,
desiperest.

Epicurus linguam natura (φύσει) ortam esse docens Pythagorae Platonique oblocutus est. Plato autem non deorum quendam, sed unum ex hominibus reliquos vocabula docuisse dixit. cf. Cratylus 388, E: *Οὐκ ἄρα παντὸς ἀνδρός, ὦ Ἑρμόγενες, ὄνομα θέσθαι ἐστίν, ἀλλά τινος ὀνοματουργοῦ· οὗτος δ' ἐστίν, ὡς ἔοικεν, ὁ νομοθέτης ὃς δὴ τῶν δημιουργῶν σπανιώτατος ἐν ἀνθρώποις γίγνεται.* Itaque dici non potuit illum homines linguam docuisse, sed ipsum alios. cf. v. 1046. Mendo igitur creberrimo sublato scribendum est: *et inde omnes didicisse.*

VI, 29 *Quidve mali foret in rebus mortalibu' passim*
quod fuerit naturali varieque volaret.

Quod discrimen Aristoteles inter certam substantiarum (*οὐσιῶν*) naturam et fluxam accidentium (*τῶν συμβεβηκότων*) mutabilitatem constituit, Epicurus non improbasse videtur. cf. Reisackeri quaestiones Lucretianae p. 20. Certe inmutabile quiddam rebus esse Lucretius itentidem urget; v. II, 751 *immutabile enim quiddam superare necessest.* cf. II, 751. Idem discrimen cum poeta hoc quoque loco significare videatur, eum scripsisse puto:

quod flueret mutabiliter varieque volaret.

Haec iam scripseram, cum Fabrum jam antea simili ratione locum sanare tentasse cognovi: quo magis Lachmannum a recta via decessisse et locum foede depravasse mirandum est.

VI, 548 *Et meritto, quoniam plaustris concussa tremescunt*
tecta viam propter, non magno pondere tota,
nec minus exultantes dupuis cumque vim
ferratos utrimque rotarum succutit orbes.

Si quid video, verba *nec minus exultant* satis aperte indicant hic agi de duabus rebus, quae aequo modo plaustri motu concutiantur; namque tecta non minus quam terram magnis ruinis concussam exultare putidum esse videtur. Jam plaustris praetervectis et tecta propter viam extructa contremescunt, et sedilia vehiculorum ipsa exultant, si quod impedimentum orbes rotarum succutit. Quod cum ita sit, verba corrupta sic emendo: *exultant sedes, ubicumque viai.* Alteri vocabulo *sedes* eandem vim poeta tribuit II, 601: *hanc veteres Graium docti cecinere poetae Sedibus in curru biiugos agitare leones.* Sic enim illos versus spatio vacuo, quod in solo quadrato exstat, neglecto sanandos esse duco. Nam cum illo loco insignibus cultus deae magnae strictim sine ullis ambagibus significatis continuo rationes caussaeque subiiciantur, totum versum excidisse non crediderim. Sed ut ad versus superiores redeamus, Lachmanni coniectura *plaustri* facile carebimus, si verba *magno pondere* vicem quandam appositionis ad illud *plaustris* explere statuerimus; cf. II, 902. Verba denique *ubicuinque viai* idem valent quod *si qui locus viae*, ut V, 739 *ante viai* idem est quod *anteriora viae loca.*

VI, 592 *post incita cum vis*
exagitata foras erumpitur et simul altam
diffindens terram magnum concinnat hiatum.

Cum aequabilis, ut ita dicam, decursus orationis nova coniunctione *cum* interiecta ingrate interrumpatur, lenissima medela *cum vi* legendum videtur, ut omnia ab *ubi* v. 578 pendeant.

VI, 756 *In Syria quoque fertur item locus esse videri,*
quadripedes quoque quo simul ac vestigia primum
intulerint, graviter vis cogat concidere ipsa
manibus ut si sint divis mactata repente.

Audacter Lachm. extremum versum hunc in modum refinxit, ne dicam, corrupit: *fit divis mactatu' repente*, neque ab conviciis in editores, qui tam immanem soloecismum castissimo latinitatis auctori adscripsissent, animum retinuit, memor, credo, praecepti illius rhetorici: *„πάσχουσι δέ τι οἱ ἀκροαταὶ καὶ ᾧ κατακόρως χρῶνται οἱ λογογράφοι „τίς δ' οὐκ οἶδεν" ὁμολογεῖ γὰρ ὁ ἀκούων αἰσχυνόμενος ὅπως μετέχῃ οὗπερ καὶ οἱ ἄλλοι πάντες"* Arist. rhet. III, 7. At nos, quibus fastus verborum aciem mentis praestringere non soleat, videamus, quo tandem fundamento ista emendatio nitatur. Ac primum versu ex Lachmanni sententia emendato etiam monstruosior forma orationis evadet, cum dubitari non liceat, quin pronomen

ipsa non ad *vis*, sed ad eosdem *quadrupedes*, qui sua sponte non alieno ictu perculsi concidere dicantur, referendum sit. Tum, quaeso, quid interest inter structuram horum versuum et illorum I, 351 sqq.

crescunt arbusta et fetus in tempore fundunt,
quod cibus in totas usque ab radicibus imis
per truncos ac per ramos confunditur omnis.

nisi quod hic generalis notio animalium, illic arborum intelligenda est. His exemplis motus ne in versu quidem 190 libri primi quidquam mutare auserim, nisi quod faciliore interpunctione restituta et *certo* in *creta* correcto (cf. IV, 1228 *corpore creti*, ubi V. *certi*, et V, 1116 *corpore creti*, ubi Leidd. et V. *certi*) sic scribo:

quorum nil fieri manifestum est, omnia quando
paulatim crescunt, ut par est semine creta,
crescentesque genus servant etc.

Lachmanni certe coniectura sententia pessumdatur, quoniam poeta alterum argumentum sumit ex eo, quod res, cum semine gignantur, paulatim crescant, alterum ex eo, quod crescentes genus servent. Eo magis autem animus ab emendandi studio revocatur, quod inverso ordine Lucretius dicit III, 184 *ocius ergo animus quam res se perciet ulla*, *Ante oculos quorum in promptu natura videtur*, et IV, 321 *aëra continuo rerum simulacra secuntur Quae sita sunt in luce*, quos locos ne Lachmmannus quidem sollicitare ausus est.

VI, 955 *Morbida visque simul, cum extrinsecus insinuatur*
et tempestatem terra caeloque coorta (*coortam* V.)
in caelum terrasque remotae iurae (*iure* V.) *facessunt* (*facescunt* V.).

Tam tempestates e terra caeloque exoriri Epicurus docuit quam morbos, qui aut extrinsecus per caeli caulas advenire aut ex ipso terrae sinu surgere dicuntur VI, 1098 sqq. Venti igitur et pestilentiae cum evanescunt, in quem alium locum decedant nisi rursus in terram caelumve? Inde colligi potest terram atque caelum raro esse corpore, ut quae ventos morbosque exhalent rursusque in se recipiant. Nec tamen omnibus morbis talis est origo, quoniam fracta crura vel alia corporis labes in ipsis animalium corporibus exoriuntur. His omnibus rationibus satisfacies, si emendaveris:

Morbida visque simul, cum extrinsecus insinuatur
et tempestates terra caeloque coortae,
in caelum terrasque remotae iura facessunt.

Haec iudicio doctorum virorum proponere mihi visum est; plura habeo, sed quae minus certa ratione evincere possim, ac vereor, ne etiam haec iis, qui Lachmanni auctoritatem fidentius sequi solent, parum veri similia esse videantur.

Jahres-Bericht

über das

K. Maximilians-Gymnasium

in München

für das Schuljahr 1854/55,

bekannt gemacht

bei der öffentlichen Preisevertheilung am 8. August 1855.

Mit Schriften des königl. Central-Schulbücherverlags.

Personalstand

des

königlichen Maximilians-Gymnasiums.

---

a) Lehrer in den ordentlichen Lehrfächern:

Dr. Karl Halm, Rector und Professor der Oberclasse, Ritter des Verdienstordens vom hl. Michael und ordentliches Mitglied der k. b. Akademie der Wissenschaften.

Dr. Joh. Georg Beilhack, Conrector und Prof. der 3. Gymnasial-Classe, Ritter des Verdienstordens vom hl. Michael.

Franz Steininger, Professor der 2. Gymn.-Classe.

Michael Dausend, Professor der 1. Gymn.-Classe.

Dr. Franz Minsinger, Professor der Mathematik am Gymnasium.

Dr. Anton Fischer, Priester und Professor, Lehrer der Religion und Geschichte für die Katholiken am Gymnasium.

Johann Wilhelm Preger, Professor und protestantischer Stadtvicar, Lehrer der Religion und Geschichte für die Protestanten in den Classen des Gymnasiums und der lateinischen Schule. *)

Karl Boisot, Lehrer der französischen Sprache.

Joseph Rott, Studienlehrer an der 3. Cl., Verweser der 4. Classe der latein. Schule.

Joseph Wolf, Studienlehrer an der 2. Cl., Verweser der 3. Cl. der latein. Schule.

Anton Linsmayer, Studienlehrer an der 1. Cl. der lat. Schule.

Sebastian Mall, Präfect und Officiator an der St. Michaels-Hofkirche, Lehrer der Religion und Geschichte für die Katholiken an der lat. Sch.

Dr. Wilhelm Christ, geprüfter Lehramtscandidat, Verweser der 2. Classe der lat. Schule.

---

*) Der Unterricht für die Protestanten in der Religion und Geschichte, und der facultative in der Stenographie wird den Schülern der drei hiesigen Gymnasien in gemeinschaftlichen Lehrstunden ertheilt.

Eduard Wurm, geprüfter Lehramtscandidat, Assistent.
Ludwig Uhlmann, Schreiblehrer an der lat. Schule.

b) Lehrer in den außerordentlichen Lehrfächern:

Xaver Richter, Beneficiums-Vicar, Lehrer der hebräischen Sprache.
Georg Everill, Lehrer der englischen Sprache.
Luigi Carrara, Lehrer der italienischen Sprache.
Heinrich Kahl, k. Hofmusikus, Violinlehrer und Musikdirector der Anstalt.
Karl Schönchen, k. Hofmusikus und Inhaber der goldenen Ehrenmünze des k. Ludwigsordens, Violoncelllehrer.
Alois Pacher, Gesanglehrer.
Heinrich Weishaupt, Zeichnungslehrer.
Georg Gerber, Lehrer der Stenographie.

Vorbemerkungen für das folgende Schüler-Verzeichniß.

1) Die mit einem Sternchen (*) bezeichneten Schüler erhalten Preise.

2) Die den Namen der Schüler beigefügten Buchstaben A.C. oder M.R. bezeichnen Augsburg'sche Confession oder Mosaische Religion.

3) Unter der Rubrik Geburtsort ist eine nähere Bezeichnung der Lage bei den in dem Kreis Oberbayern gelegenen Orten und bei allgemein bekannten Städten weggelassen.

4) Der Wohnort der Eltern ist nur da besonders angegeben, wo er von dem Geburtsort eines Schülers verschieden ist. Ein beigesetztes „in M." bedeutet: in München.

5) Die in den Anmerkungen angegebenen Fortgangsplätze der protestantischen Schüler in der Geschichte sind diejenigen, welche sie in dem combinirten Unterricht der Schüler der drei hiesigen Gymnasien erhalten haben.

Verzeichniß der Schüler

nach ihren allgemeinen und besondern Fortgangsplätzen.

Vierte oder Obergymnasial-Classe.

Anzahl a) der definitiv inscribirten Schüler: 29; b) der am Jahresschlusse vorhandenen: 28.

Lehrgegenstände: 1) Religion a) für die Katholiken: Die Grundlehren der Religion nach dem Lehrbuche der christlichen Religion für die katholischen Gymnasien Bayerns; b) für die Protestanten (combinirt mit der 3. Gymn.-Cl.): Der Brief St. Pauli an die Galater im Urtext; Kirchengeschichte bis zur Reformation; Repetition der Religionslehre nach Thomasius. — 2) Deutsche Sprache: Theorie der Redekunst nach dem Lehrbuche von Richter; rednerische Aufsätze, vorgehaltene Muster; deutsche Literaturgeschichte bis Gottsched. (Behandelt von Prof. Dr. Beilhack.) — 3) Lateinische Sprache: Lateinische Stilübungen. Cic. divin. in Q. Caecilium et in Verrem lib. V. Tacitus Annalen I, c. 1—51. (Assistent Wurm). Horatii Sermonum lib. I, 1. 3. 4. 6. 7. 9. 10. II, 1. Epist. lib. I, 1—10. — 4) Griechische Sprache: Wiederholung der schwierigeren Lehren der Syntax, mit schriftlichen Uebungen nach Halm. Vier Reden des Lysias (num. 7. 16. 24. 30.); Demosthenis orr. Philipp. I. II; de pace, de rebus Chersonesi. Homeri Iliad. lib. XIX — XXII. Sophoclis Electra. — 5) Mathematik: Ebene Geometrie, Stereometrie, ebene Trigonometrie. — 6) Geschichte a) für die Katholiken: Geschichte der neueren Zeit bis zum zweiten Pariser Frieden, nach Pütz; bayerische Geschichte vom Tode Ludwigs des Bayern bis zum Tode Karl Theodors. b) für die Protestanten: Neuere allgemeine Geschichte nach Dittmar. Bayerische Geschichte von Ludwig dem Bayer bis auf die neueste Zeit, nach Spruner.

Allgem. Fortgangsplatz.	Namen der Schüler.	Alter: Jahre.	Alter: Monate.	Geburtsort.	Stand u. Wohnort der Eltern.	Religionskenntnisse.	Fortgang in den einzelnen Fächern: Lateín. Spr.	Griech. Spr.	Deutsche Spr.	Mathematik.	Geschichte.
*1	Ludwig Fahrmbacher.	18	3	München.	q. k. Rath u. geh. Sekret.	II	2	6	1	8	3
*2	Karl Erich. A.C.	18	4	München.	Großhändler.	I	6	6	1	3	—
*2	Andreas Spengel.	16	9	München.	k. Universitätsprofessor.	II	1	1	13	3	8
*4	Georg Daußes. A.C.	19	3	Nürnberg.	k. Hartschier in M.	I	9	1	10	3	—

Allgem. Fortgangsplatz	Namen der Schüler.	Alter: Jahre.	Alter: Monate.	Geburtsort.	Stand u. Wohnort der Eltern.	Religionskenntnisse.	Fortgang in den einzelnen Fächern. Latein. Spr.	Griech. Spr.	Deutsche Spr.	Mathematik.	Geschichte.
5	Max Schmid.	20	2	München.	k. Aufschläger, gest.	I*	6	1	10	17	1
6	Franz v. Hefner-Alteneck.	16	11	Aschaffenburg.	k. Professor und Conservator in M.	I	4	5	13	7	8
7	Ludwig Zechmeister.	19	6	München.	Lohnkutscher.	II	5	12	7	3	12
8	Joseph Mair.	21	—	Miesbach.	Musikmeister.	I	6	1	16	14	4
9	Otto Böhm.	18	8	München.	q. k. Hofmusikus.	I	11	14	8	1	1
10	Ludw. Frhr. v. Raesfeldt. A. C.	18	5	Ansbach.	k. Oberberg- u. Salinen-Forstrath in M.	I	13	9	1	10	—
11	Heinrich Ellersdorfer.	19	—	Augsburg.	k. Regimentsarzt in M.	II	13	11	8	13	6
11	Hermann Krauth. A. C.	17	8	Cannstatt in Würtemberg.	Maler.	I	16	16	5	1	—
13	Hubert Lößl.	17	11	Balleck.	k. Revierförster in Schliersee.	I	9	8	23	11	4
14	Brix Förster. A. C.	19	3	München.	Dr. der Philosophie.	II	15	13	6	12	—
14	Max Zenger.	18	7	München.	k. Universitätsprofessor.	IV	3	9	17	25	19
16	Karl Aug. H[illegible]nlein. A. C.	18	3	Augsburg.	q. k. Ministerialrath in München.	II	18	19	1	21	—
17	Joseph Lorenz.	18	9	München.	Hofvergolder.	II	11	15	17	22	16
17	Otto Spengel.	17	11	München.	k. Universitätsprofessor.	II	18	16	17	15	8
19	Hermann Kahn. M.R.	21	6	Hürben in Schwaben.	Lehrer, gest.	I	26	19	10	9	8
20	Max Pfeiffer.	22	2	Rotthalmünster in N. B.	Schullehrer, gest.	III	18	26	17	22	13
20	Joseph Zeiller.	21	10	München.	q. k. Hauptzollamtsverwalter.	II	18	21	24	17	15
22	Albrecht Buchta. A. C.	22	3	Ingolstadt.	k. Hauptmann, gest.	II	23	24	17	16	—
23	Joseph Winner.	23	4	Geisenfeld.	Handelsmann, gest.	II	17	21	22	26	18
24	Hugo v. Maffei.	18	11	Bamberg.	k. Oberst u. Stadtcommandant in Lindau.	III	26	27	13	17	14
25	Heinrich Dreßel.	21	8	Alteiselfing.	Schuhmacher, gest.	II	25	18	24	27	7
26	Franz Plößl.	23	4	Pittersberg in d. Ob. Pf.	Schneidermeister.	IV	22	23	27	20	19
27	Leopold Staudinger.	20	1	Deggendorf in N. B.	Schuhmacher, gest.	II	23	25	26	22	16
—	Johann Huber.	21	1	Vorstadt Au.	Zimmermann.	—	—	—	—	—	—

Den Preis aus der Religion erhält Max Schmid. Preiswürdig ist von den protestantischen Schülern: Georg Daußes.

Anmerk.: 1) Fortgangsplätze der Protestanten in der Geschichte unter 12 Schülern: Daußes 1, Erich 4, Buchta 5, Krauth und von Raesfeldt 7, Hänlein 9, Förster 11.

2) Johann Huber mußte wegen langwieriger Krankheit den Schulbesuch seit dem Monat März aussetzen und konnte so in die Fortgangsberechnung nicht aufgenommen werden. Außer ihm wurden durch längere Krankheit im regelmäßigen Schulbesuche unterbrochen: Zenger, Ellersdorfer Pfeiffer und Plößl.

Dritte Gymnasial-Classe.

Anzahl a) der definitiv inscribirten Schüler: 33; b) der am Jahresschlusse vorhandenen: 32.

Lehrgegenstände: 1) Religion a) für die Katholiken: Die Lehre von dem christlichen Leben (Ethik); b) für die Protestanten: s. Oberclasse. — 2) Deutsche Sprache: Theorie der Dichtkunst, nachgewiesen durch Erklärung mustergiltiger Gedichte; besonders gelesen und erläutert: 30 Oden von Klopstock, Iphigenie auf Tauris von Göthe; deutsche Literaturgeschichte behandelt von Ulfila bis zum Schlusse des 15. Jahrh.; schriftliche Uebungen in gebundener und ungebundener Rede. — 3) Lateinische Sprache: Ciceronis orr. IV. in Catilinam et pro Sulla c. 1—20 (erklärt von Rector Dr. Halm); Livii lib. III. cursorisch; Horatii Carmina lib. I. II. ganz, aus lib. III und IV ausgewählte (nach der Münchner Ausgabe), epistola ad Pisones; Stilübungen nach M. Seyffert's Aufgaben für Secunda Nro. I—XXIV, 38 Abschnitte. — 4) Griechische Sprache: des Herodotos drittes Buch, des Lysias Reden wider Eratosthenes und über die Unterstützung eines Unvermögenden; Homeri Iliadis lib. VII. VIII. IX; des Euripides Iphigenia auf Tauris; Syntax nach Halm's Lehrbuch 2 Thl. §. 1—46. — 5) Mathematik: Proportionen, Progressionen und Logarithmen; ebene Geometrie; mathematische Geographie. — 6) Geschichte a) für die Katholiken: das Mittelalter nach Pütz; 2) Bayerische Geschichte von den ältesten Zeiten bis zum Tode Ludwig des Bayern. b) für die Protestanten: Derselbe Lehrstoff nach den Lehrbüchern von Dittmar und Spruner.

Allgem. Fortgangsplatz.	Namen der Schüler.	Alter: Jahre.	Alter: Monate.	Geburtsort.	Stand u. Wohnort der Eltern.	Religionskenntnisse.	Fortgang in den einzelnen Fächern: Latein. Spr.	Griech. Spr.	Deutsche Spr.	Mathematik.	Geschichte.
*1	Ferdinand Knorr.	17	6	München.	k. General-Zoll-Administrator, gest.	I*	1	1	1	1	1
*2	August Keller.	17	6	München.	k. Advokat und Leuchtenberg. Kabinetsrath.	I	2	2	4	1	2
*3	Adolf Scheuer.	17	6	München.	Juwelier.	II	3	6	1	7	23

Allgem. Fortgangsplatz.	Namen der Schüler.	Alter: Jahre.	Alter: Monate.	Geburtsort.	Stand u. Wohnort der Eltern.	Religionskenntnisse.	Fortgang in den einzelnen Fächern: Latein. Spr.	Griech. Spr.	Deutsche Spr.	Mathematik.	Geschichte.
*4	Hermann Frhr. v. Stengel.	18	—	Speier.	q. k. Appellat.-Gerichts-Präsident in München.	II	7	11	4	4	9
5	Adolf Henselt.	18	11	Forstinding.	k. Revierförster in Kreuzing.	I	7	3	14	10	3
6	Johann Mayr.	19	4	Hohenlinden.	Korbmacher.	I	4	4	19	9	8
7	August Müller.	17	2	Lindau.	k. Landgerichtsarzt.	I	5	6	17	13	12
8	Eugen Lachner.	16	8	München.	k. Generalmusikdirector.	III	5	9	4	29	22
9	Friedrich v. Weech.	17	9	München.	k. griech. Hauptmann, gest.	II	14	15	1	26	4
10	Richard Frhr. v. Tautphöus.	16	8	Aschaffenburg.	k. Oberappellat.-Gerichts-Director in M.	I	17	6	14	19	4
11	Ludwig Augustin. A. C.	16	10	Köln.	k. preuß. Oberregierungsrath in M.	I	20	24	4	5	—
12	Heinrich Riemerschmid.	18	10	München.	Fabrikbesitzer.	II	12	11	11	11	21
13	Adolf Engelbach.	18	8	München.	k. Bezirksgeometer, gest.	III	10	14	13	16	17
14	Ludwig Schwaiger.	17	—	Benediktbeuern.	k. Landgerichtsarzt in Ebersberg.	I	9	9	24	20	14
15	Wilh. v. Bezold. A. C.	18	1	München.	k. geheimer Rath.	I	25	25	4	5	—
16	Albert Amsler. A. C.	18	6	München.	k. Professor an der Akademie d. bild. Künste, gest.	II	17	15	11	24	—
17	Andreas Liebl.	18	8	Petershausen.	Schullehrer.	I	13	20	24	3	10
18	Julius Pauli. A. C.	18	8	München.	k. Director der Eisenbahn-bau-Commission.	II	15	19	17	20	—
19	Karl Pichlmaier.	19	5	Arnstorf in Niederbayern.	Chirurg, gest.	II	15	21	19	17	7
20	Eduard Felshof.	18	1	München.	Banquier, gest.	II	10	5	28	30	16
21	Wilhelm Rott.	18	11	Athen.	Kammerdiener Sr. Maj. des Königs Otto von Griechenland.	I	21	15	16	18	10
22	Karl Lamprecht.	18	5	München.	k. Kreis- u. Stadtgerichtsrath, gest.	II	27	30	4	13	6
23	Eugen Popp. A. C.	17	9	München.	k. Oberappellationsgerichts-Rath.	II	26	15	26	11	—
24	Karl Heymann.	18	4	München.	k. Hofkutscher.	III	27	27	4	23	13
24	Jul. Morgenroth. A. C.	18	10	Augsburg.	k. Oberrechnungsrath.	II	17	25	22	26	—
26	Matthäus Lehner.	20	11	Heiligenstadt in Niederb.	Meßner.	II	22	11	26	24	24
27	Max Riggl.	21	—	Obernzell in Niederb.	k. Revisionsbeamter in M.	II	22	21	19	28	19

Allgem. Fortgangsplatz.	Namen der Schüler.	Alter: Jahre.	Alter: Monate.	Geburtsort.	Stand u. Wohnort der Eltern.	Religionskenntnisse.	Fortgang in den einzelnen Fächern. Latein. Spr.	Griech. Spr.	Deutsche Spr.	Mathematik.	Geschichte.
28	Gustav Frhr. v. Feuri.	16	8	Landshut.	p. k. Hauptmann in M.	III	24	23	30	7	20
29	Otto Frhr. v. Feuri.	19	11	Landshut.	p. k. Hauptmann in M.	II	30	27	28	13	15
30	Berthold Kränzner.	19	8	München.	Krämer in Großholzhausen.	II	29	29	22	20	18
—	Joseph Bernhardt.	16	8	München.	Porträtmaler.	—	—	—	—	—	—
—	Johann Hiebl.	23	8	Kenbarn.	Landmann.	—	—	—	—	—	—

Den Preis aus der Religion erhält von den katholischen Schülern: Ferdinand Knorr.

Anmerk.: 1) Fortgangsplätze der Protestanten in der Geschichte unter 12: Augustin 1, Bezold 4, Amsler 6, Morgenroth 6, Popp 6, Pauli 9.

2) Joseph Bernhardt war das ganze zweite Semester krank, Johann Hiebl wurde im größern Theile des Jahres durch Kränklichkeit vom Classenbesuche abgehalten; beide konnten daher nicht berechnet werden. Nach Wahrscheinlichkeit hätte Bernhardt einen Platz im Anfange, Hiebl einen am Ende des letzten Drittels eingenommen.

3) Durch Erkrankungen wurden dem Besuche der Classe längere Zeit entzogen: Keller, Kränzner, Lambrecht, Liebl, Rott.

Zweite Gymnasial-Classe.

Anzahl a) der definitiv inscribirten Schüler: 37; b) der am Jahresschlusse vorhandenen: 35.

Lehrgegenstände: 1) Religion a) für die Katholiken: die Lehre von der Gnade, der Rechtfertigung, den heil. Sacramenten und die Eschatologie. b) für die Protestanten (combinirt mit der I. Gymn.-Cl.): Alttestam. Geschichte nach Kurtz. — 2) Deutsche Sprache: schriftliche Uebungen in gebundener und ungebundener Rede, Anfertigung von Chrien, Memorirung und Erklärung ausgewählter Stücke nach Kehrein (deutsches Lesebuch, obere Lehrstufe); — 3) Lateinische Sprache: Syntax nach Zumpt; fortgesetzte Einübung des elegischen Versmaaßes; Uebersetzungen nach Süpfle's Aufgaben zu lat. Stilübungen 2. Theil 2. Abth.; Curtii lib. III. IV; Livii ab urbe cond. lib. III. IV. Virgilii Aeneid. II. VII. VIII. X. (v. 1—165) (passende Stellen auch memorirt). — 4) Griechische Sprache: Syntax nach Buttmann und Halm's Elementarbuch II, 1; Xenoph. Anab. I. V. Plu-

tarchi Aristides et Cato major. Homeri Odyss. X. XI. XII. XIII.; Iliadis IX. X. XI. XII. XIII. — 5) Mathematik: Potenzen und Wurzeln; Gleichungen vom zweiten Grade, Logarithmen. — 6) Geschichte: a) für die Katholiken: Allgemeine Geschichte von der Gründung Roms bis auf Karl den Großen nach Pütz; b) für die Protestanten: Die Zeit von den Samniterkriegen bis auf Karl den Großen nach Dittmar; bayerische Geschichte bis auf Otto von Wittelsbach nach Spruner.

Allgem. Fortgangsplatz.	Namen der Schüler.	Alter: Jahre.	Monate.	Geburtsort.	Stand u. Wohnort der Eltern.	Religionskenntnisse.	Fortgang in den einzelnen Fächern. Latein. Spr.	Griech. Spr.	Deutsche Spr.	Mathematik.	Geschichte.
*1	Joseph Stanger.	17	4	Vorstadt Au.	Zinngießer.	I	1	1	2	3	1
*2	Adolf Fürg.	16	5	München.	Schullehrer.	I	3	3	2	1	4
*2	Adolf Oberndörffer. M.R.	17	1	Ansbach.	Banquier, gest.	I	2	2	1	8	6
*4	Karl Keller.	16	3	München.	k. Advokat u. herz. Leuchtenberg. Cabinetsrath.	I	5	5	4	8	9
5	Friedrich Stecher.	16	9	München.	Expeditor bei der Hypotheken- u. Wechselbank.	II	4	7	5	18	13
6	Johann Bierling.	17	—	Oberammergau.	Bilderschnitzer.	II	6	9	6	15	9
6	Ottmar Sperl. A. C.	17	8	München.	Privatier.	I *	10	4	7	13	—
8	Joseph Merkl.	17	1	München.	Koch.	I	11	6	12	10	3
9	Karl Feder.	15	6	Athen.	k. Ministerialrath in M.	II	6	8	8	15	25
10	Joseph Weikard.	16	4	Wertheim in Baden.	k. Oberapp.-Gerichts-Rath in M.	I *	12	13	18	3	5
11	Alois Schillinger.	17	1	München.	Gensd'arm in der Vorst. Au.	II	8	19	9	15	8
12	Ignaz Liebl.	19	10	Petershausen.	Schullehrer.	I	14	11	10	20	2
13	Anton Peter.	17	1	München.	Strohwaarenfabrikant.	I	9	14	12	28	7
14	Joseph Fürst.	16	1	Vorstadt Au.	Dr. med. u. prakt. Arzt.	III	13	10	19	12	21
15	Max v. Heusler.	17	7	München.	k. Artillerie-Major u. Adjutant Sr. K. H. d. Herzogs Max in Bayern.	I	18	15	21	2	15
16	Ludwig Jägerhuber.	16	5	München.	Hofmusikus in Löwenberg in Preußen.	I	16	16	15	22	16
17	Ludwig Trost.	18	—	München.	k. Kr.- u. Stadtg.-Schreiber.	I	15	23	17	18	11
18	Wilhelm Frhr. v. Mulzer.	16	10	Nürnberg.	k. Kämmerer und Kreis- u. Stadtgerichts-Direktor in M.	II	17	20	20	14	16
19	Anton Leibhammer.	18	2	Wallerstein in Schwaben.	Oekonom.	I	19	16	30	10	14
20	Theodor Pflaumer.	18	—	Regensburg.	k. Steuer-Liquidations-Actuar in M.	II	28	11	31	5	12

Allgem. Fortgangsplatz.	Namen der Schüler.	Alter: Jahre.	Alter: Monate.	Geburtsort.	Stand u. Wohnort der Eltern.	Religionskenntnisse.	Fortgang in den einzelnen Fächern. Latein. Spr.	Griech. Spr.	Deutsche Spr.	Mathematik.	Geschichte.
21	Georg Arnold.	16	5	München.	Bureaudiener.	II	21	28	11	21	19
22	Karl Frhr. v. Berchem.	16	11	Würzburg.	k. Oberappell. = Ger. = Rath in M.	III	25	21	24	5	23
23	Alfred Frhr. v. Feuri.	17	11	Landshut.	p. k. Hauptmann in M.	II	20	27	28	5	22
24	Joseph Fischer.	18	10	Haidhausen.	Messinggießergesell in M.	I	22	23	22	24	19
25	Heinrich Heyder.	16	10	Landsberg.	k. Landrichter in Wolfrathshausen.	III	29	23	14	22	28
26	Wilhelm Frankl.	17	3	München.	Schullehrer.	I	27	23	24	25	18
27	Fidel Bannwarth.	15	5	Füßling.	Landarzt.	II	23	22	22	31	27
28	Anton Barth.	17	9	München.	Privatier.	IV	24	18	32	29	30
29	Ludwig Heyfelder. A. C.	16	3	Sigmaringen.	k. russ. Collegienrath in Petersburg.	II	30	31	16	32	—
30	Emil v. Hefner=Alteneck.	15	3	Aschaffenburg.	k. Professor u. Conservator der verein. Sammlungen in M.	II	26	28	29	30	26
31	Joseph Schwager.	19	—	Fremdingen in Schw.	Lehrer in Oettingen.	III	31	30	24	26	29
32	Konrad Lehmeyer.	16	5	Grafenau in N. B.	k. Landgerichtsdiener in Vilsbiburg.	II	33	32	33	27	24
33	Joseph Steer.	17	2	Wolfrathshausen.	Rothgerbergesell in M.	III	32	33	27	33	31
—	Karl v. Paschwitz. A. C.	18	—	Puckenhof in M. Fr.	q. k. Forstmeister in Erlangen.	—	—	—	—	—	—
—	Karl Zuccarini.	17	8	München.	k. Universitäts = Professor, gest.	—	—	—	—	—	—

Den Preis aus der Religion erhält von den katholischen Schülern: Joseph Weikard; von den protestantischen: Ottmar Sperl.

Anmerk. 1) Fortgangsplätze der Protestanten in der Geschichte unter 7: Sperl 2, Heyfelder 6.

2) Karl v. Paschwitz trat erst im Monat Mai in die Classe; Karl Zuccarini konnte seit dem December wegen anhaltenden Brustleidens die Schule nicht besuchen.

3) Karl Feder wurde vier Wochen durch Krankheit vom Schulbesuche abgehalten.

Erste Gymnasial-Classe.

Anzahl a) der definitiv inscribirten Schüler: 30; b) der am Jahresschlusse vorhandenen: 28.

Lehrgegenstände: 1) Religion a) für die Katholiken: Die Lehre von Gott, der Schöpfung und Erlösung; b) für die Protestanten: s. 2. Gymn. Kl. — 2) Deutsche Sprache: Ausgewählte Stücke gelesen und zum Theil memorirt aus Kehrein's Lesebuch (obere Lehrstufe) mit der Uebersicht der Figurenlehre, Uebungen in Aufsätzen und in Fertigung von Distichen. — 3) Lateinische Sprache: Syntax, Prosodik und Metrik nach Zumpt; Uebungen im elegischen Versmaaße; Uebersetzungen in's Lateinische nach Süpfle II; Caesaris de bello gall. lib. V.; Curtii lib. VIII. IX. X.; Ovidii Metamorph. 1. 2. 3. 4. 5. 7. der Münchner Ausgabe. — 4) Griechische Sprache: nach Wiederholung der verba auf $\mu\iota$ und anomala die Lehre von den Präpositionen, dem Gebrauche des Artikels und der Pronomina nach Halm's Elementarbüchern; Xenoph. Anab. IV. V. c. 1—5; Homeri Odyssea I. IX. X. — 5) Französische Sprache: Grammatik von Ahn vom Anfang bis zum Ende, Dictatübungen, gelesen aus einem Lustspiel von Molière. — 6) Mathematik: Einleitung, Gesetze der vier ersten Zahlverbindungen, Elemente der Zahlentheorie; Gleichungen des ersten Grades. — 7) Geschichte: a) für die Katholiken: das Alterthum bis auf Alexander den Großen, nach Pütz; b) für die Protestanten: Alte Geschichte bis zu den Samniterkriegen, nach Dittmar.

Allgem. Fortgangsplatz.	Namen der Schüler.	Alter: Jahre.	Alter: Monate.	Geburtsort.	Stand u. Wohnort der Eltern.	Religionskenntnisse.	Fortgang in den einzelnen Fächern: Latein. Spr.	Griech. Spr.	Deutsche Spr.	Mathematik.	Geschichte.	Französisch.
